

DE EO QUEM DICUNT INESSE
TRIMALCHIONIS CENAE
SERMONE VULGARI

SCRIPSIT

GUILELMUS SUESS

60827

DORPATI 1926

3.



25357

Acta et Commentationes Universitatis Dorpatensis BIX.4

14897296

Argumentum.

Capite primo adumbratur singularis ratio ac natura imitationis a Petronio in orationibus libertinorum expressae. Ostenditur non modo grammaticis singula esse ex historia et necessitate orationis latinae interpretanda, sed et philologis quaerendum esse, quo sit ductus consilio scriptor et qua sit usus ratione in coloribus vulgaribus dicendi et eligendis et distribuendis. Refelluntur opiniones eorum, qui aut peregrinorum aut provincialium errores tangi putant. Delibantur exempla quibus appareat libertinorum supellectilem oratoriam ad κοινήν quandam Romanam pertinere.

Capite secundo describitur absentiae non minus quam praesentiae tabula proposita, quomodo in singulis provinciis artis grammaticae sit versatus Petronius: I. De litterarum vel sonorum imitatione phonetica. II. Qua fide et quatenus vulgi consuetudo in usu assimilationis, dissimilationis, syncopae, epentheseos, metatheseos sit depicta. III. De compositorum, intensivorum, desiderativorum, inchoativorum praeter necessitatem et elegantiam usu. De geminatione. De minuta vi pronominum. IV. De declinationis et coniugationis fatis libertinorum verbis proditis. V. Analogiae quam dicunt lex quantum valeat in libertinorum sermonibus. De porticu, genere neutro intereunte, de milva, de deponentibus verbis, de formarum exaequatione, de diei genere feminino. VI. De deminutivis. VII. De synonymis, de abstractis, de suffixis. Quia et quod eum ordinem et locum tenent, quem in elegantia dicendi a. c. i.

Capite tertio discrimina interponuntur inter singulas orationes libertinorum. Illustratur peculiaris ratio Damae, Hermerotis genus dicendi. Aenigma „qui de nobis.“ Seleuci oratio, Philerotis verba. Ganymedes. Echion. Niceros. Habinnas.

Conclusionem aestimatur imitatio a Petronio expressa ex artis grammaticae fide et ex litterarum Romanarum natura et ratione.

Caput primum.

Otto Behaghel, vir praeter ceteros dialectorum Germanicarum peritus, publicorum quorundam commentariorum in popularem omnium usum editorum exceptus hospitio (Mundartstümper, Westermanns Monatshefte 1920 p 651 sqq) multis et lepidis exemplis demonstrat, quo insaniae et temeritatis saepius vel hac aetate proferantur historiarum Milesiarum vel fabularum eroticarum conditores eis locis, quibus orationem rusticorum vel tenuioris cuiusdam ordinis sibi proponunt imitandam vel immiscere conantur generi dicendi, quae — aliena illa a severis scholae legibus — cotidiana vitae usum redolent. Talia monstra seu inscitiae seu negligentiae si videmus formari hac aetate, quae — longe aliena a fastidiis illius grammatici Gelliani (XIX, 10), qui honore quaestionis minime dignos putat opificum sermones plebeios — vel intra umbracula doctrinae dedita vulgi mores et usus diligentissime observandos a Romanticis hereditate accepit, quantum quaeso expectabimus ab illo, qui Neronis temporibus similia ausus est aggredi? Nonne putabimus illum suo tanquam Marte pugnare atque ioci vel ludibrii causa inaudita quaedam fingere, quae sordidi illi deipnosophistai iure et merito proferre possint, si quidem illis temporibus ne grammatici quidem plebis sermonem aliter curabant nisi ita ut ubi peccatum esse videretur adversus leges scholasticorum, appictis tanquam obeliscis indicarent? Neque grammatici veteres ut sunt normarum recte loquendi unice studiosi aut quicquam discriminis interponebant inter rusticorum sermonem et barbarorum seu peregrinorum parum expeditam peritiam linguae latinae aut quaerebant, essentne ea, quae abhorrerent a disciplina elegantiae, ex vetusta memoria usu plebis conservata an essent mutata seu novata ex illa progrediendi necessitate, quam in provincia artis grammaticae non minus quam in rerum natura inesse scimus.

Atque hic quidem illud satis est mirum, quod mirari plane omisisse video viros rei ipsius peritos, Petronium in conformandis sermonibus libertinorum illorum cenae Trimalchionis adhibitorum non vana ingenii somnia finxisse, sed nescio quam veritatem usus ipsius depinxisse. Aliter enim si res se haberet, non esset, quo modo ei, qui latinae linguae memoriam ad varietatem linguarum romanicarum deducunt, illius auctoritate plurimis locis uti possent. Immo sententias suas conformasse fere

videtur in usum grammaticorum huius aetatis, plurimis enim relictis versatur in paucis eisque gravissimis rebus, quas plurimum valuisse ad orationem Gallorum Itolorumque nepotum conformandam scimus. Neque in eligendis atque illustrandis exemplis aliter agere videtur, quam quicumque pueris sententias proponunt in latinam linguam transferendas de imperatoribus illis, qui non dubitant flumen transire, qui non dubitant, quin hostes hoc vel illud sint facturi, qui animos militum tantum abest ut vituperent ut laudent, qui aegre et vix ex latebris et insidiis sententiarum et irrealiter et oblique conformatarum expediuntur et quae sunt eiusdem fere generis. Apparet haec scriptoris consilia non minus digna esse quae illustrentur quam ipsum illud genus dicendi vulgare.

Illa igitur cum nobis proposuerimus his schedis diligentius recensenda, primum quidem pauca praemonebimus.

I. Petronius unicus huius rationis auctor ad nostram memoriam permansit. Fuerunt sane, qui sibi persuaderent cum aliis locis tum in hac plebei sermonis imitatione operi Petroniano inesse semina quaedam mimica. Quae sententia etsi haud aliena est a veri similitudine, tamen in hac penuria testium vix satis ad lucidum perducitur potest. Quae enim sunt allata similia Aristophanea aut Theocritea, tenuissimis filis affinitatis coherent cum ratione Petroniana, quae poterant afferri permulta exempla vulgaris dictionis a grammaticis ex togatarum et Atellanarum memoria collecta nullo, si recte video, loco ad veram similitudinem rationis Petronianae accedunt. Nusquam enim alibi video in modum Petronii aperto consilio soloecismos illos — id quod est gravissimum in hac quaestione diiudicanda — a ceterorum sermone aut a norma quadam quae putatur usui loquendi inesse seiungi et ludibrio risuique tradi. Has igitur mimicas origines, si licet hac voce parum accuratis finibus circumscripta uti, cum non habeamus quomodo in singulis diligentius patefaciamus, hic in medio relinquimus¹⁾.

1) Cf. Norden, Die römische Literatur (Einleitung in die Altertumswissenschaft von Gercke-Norden I, 4³) p 77, 114. Rosenblüth, Beiträge zur Quellenkunde von Petrons Satiren, Kieler Diss. 1909, 39; 42. Sophron cum pro eo quod est *ὕγιεστερον ὑγιώτερον* audeat, dicitur a grammatico consilio usus esse (fr 34 Kaibel: *ἐκοντὶ ἡμαρτε τὸ ἄκακον τῆς γυναικείας ἐρημείας μιμούμενος*) *Late loquentium* titulus Laberianus ne ipse quidem satis apertus est.

II. Mirum est quam saepe sit peccatum in eo, quod, cum non religiosissime Petronii ipsius genus dicendi a libertinis irisis seiungeretur, omnia sine verò fructu confundebantur. Nobis certe hic non est res cum Petronii ipsius familiari urbanitate, sed cum personis illis de plebe inter cenam colloquia conserentibus. Quaeritur autem, num et aliis locis operis per ambitum multorum librorum latissime patentis scriptor similes iocos effuderit. Unum inveni quod posset hanc sententiam commendare²⁾, sed vix est quo modo non putemus saepius scriptorem in hoc argumento facetiarum fecundissimo esse versatum.

III. Sermonis plebei lepidum saporem ex cena Trimalchionis degustare non omiserunt ei, qui origines vulgares linguarum Romanicarum illustrare conati sunt. Hic passim et ubique vides exempla Petroniana afferri³⁾. Eo plus miramur artē quandam grammaticam libertinorum Petronianorum dignam illam hoc saeculo et re ipsa plane desiderari. Quae enim sunt collecta in hac provincia ante hos quinquaginta fere annos⁴⁾, ea etsi illis temporibus laude haud indigna esse videbantur, tamen nunc post tot tantasque commutationes artis grammaticae vix boni consulenda sunt.

Heraeus⁵⁾ autem, vir optime de hac provincia artis meritus, etsi immiscuit, quae latius paterent, tamen parvulum frustulum sibi delibavit degustandum. Apud Friedlaenderum, cuius editio omnium in manibus versatur, ut est rebus et moribus potissimum deditus, frustra quaeres talia, nisi

2) Anicula illa, quae (131,7) Encolpii inguinum lentam spem praecantatrici in morem temptat, „vides“, inquit, „Chrysis mea, vides, quod aliis leporem excitavi?“ Hoc quod a Petronio aut Encolpio plane alienum Trimalchionis est (scis, quod epulum dedi 71,9).

3) Ex ingenti copia librorum quattuor nominasse hic sat habeo: Meyer-Lübke, Die lateinische Sprache in den romanischen Ländern (Groebers Grundriss der romanischen Philologie I², 451 sqq.). Eiusdem: Einführung in das Studium der romanischen Sprachwissenschaft³ 1920. Grandgent, An Introduction to vulgar Latin 1907. Bourciez, Éléments de linguistique romane² 1923.

4) Ludwig, de Petronii sermone plebeio, Diss. Marburg. 1869. Guericke, De linguae vulgaris reliquiis apud Petronium et in inscriptionibus parietariis Pompeianis, Diss. Königsb. 1875.

5) Die Sprache des Petronius und die Glossen. Programm des Gymnasiums zu Offenbach a. M. 1899. Petronii satirae rec. Fr. Buecheler, editionem sextam supplementis auctam curavit G. Heraeus 1922. In illo programme afferendo utemur compendio Gl.

quod in vocibus quibusdam, quarum vis aegre expeditur, subsidia doctrinae a Groebero, Heraeo, aliis petit. Atque hic quidem mirabitur legentium curiositas dubia quaedam, quae sunt paucissima inter hunc tantum numerum exemplorum, copiosissime tractari, rem ipsam non iustis commentariis illustrari⁶⁾. Nihilominus his proximis annis tantopere tantoque cum fructu in provincia vulgaris latinitatis laboratum est, ut de plurimarum harum rerum origine, natura, memoria apud posteros servata dubitari vix possit. Iure igitur ac merito licet quaerere, quibus consiliis ductus sit, quam rationem secutus sit scriptor in sermonibus libertinorum his soloecismis facietis aspergendis. Hac demum ratione cognoscemus, cuius pretii sint Petroniana illa in vulgari sermone latino diiudicando. In tractandis autem eis rebus, quae ad artem grammaticam spectant, non scrinia grammaticorum excutiemus, sed exempla quaedam gravissima delibasse sat habebimus.

Libero quicumque iudicio ad hos sermones libertinorum accedet, primum quidem quaeret, nonne ideo recedant ab elegantia dictionis illi homines, quia Romanorum linguae parum periti ex eis partibus imperii, quae ad orientem spectant, in illam urbem graecam confluerunt. Trimalchio quidem nominis posteriore parte, qua ad affinitatem talium nominum qualia sunt Abimelech Melchisedek, Malchus accedit, originem semiticam prae se fert. Ex Asia se in illum terrarum angulum venisse ipse (75,10) non minus quam Ganymedes (44,4) profitetur. Quid si illi, cum sint origine barbari, in latinae linguae usu balbutiunt? Veteres enim solent sordes plebei sermonis cum ad alia tum ad barbarorum corruptam pronuntiationem aut dictionem referre⁷⁾.

6) Petronii cena Trimalchionis mit deutscher Übersetzung und erklärenden Anmerkungen von L. Friedländer² 1906. Si recte memoria valeo, nam hoc temporis momento inspiciendi nulla est copia, idem fere cedit in editionem Watersianam, Boston 1902. Nuperrime cenam edidit Sedgwick Oxonii 1925. Copiosa illa multitudo litterarum aut de Petronio aut de vulgari latinitate editarum etsi, ut est natura loci, non integra uti nobis licuit, tamen confidimus hanc librorum penuriam in singulis iniquam graviolem labem non intulisse rei ipsi nobis propositae.

7) Huic sententiae debetur vox barbarismorum (Isidor. I, 32) et ille apud Isidorum locus, quo inter quattuor aetates linguae latinae post *priscam* Saliorum, *latinam* duodecim tabularum, *Romanam* Ciceronis, Vergilii, ceterorum numeratur *mixta* quaedam, „*quae post imperium latius promotum simul cum moribus et hominibus in Romanam civitatem irrupit, integritatem verbi per soloecismos*

Sed nil exstat in his sermonibus, quod merito possit ad auctoritatem patrii sermonis syriaci aut hebraici revocari. Neque enim ille, qui dicit (37,8): *Trimalchio habet nummorum nummos* putandus est hoc genere dicendi originem semiticam patefacere. Similiter videtur expressum esse, quod exstat apud alterum quendam (43,8) *olim oliorum*. Res ipsa enim, etsi similitudine quadam accedit ad *canticum canticorum*, *saecula saeculorum*, *vanitatem vanitatum vanitatem*, similia seu biblica seu ecclesiastica, minime ab usu peculiari Graecorum aut Romanorum aliena est. Saliorum ille Ianus *divum deus* (Varro II VII 27) minime ad orientem spectat neque Vergilio adulescenti, cum caneret (catal. V, 6 sq)

Tuque o mearum cura Sexte curarum

Vale Sabine,

ad Syros erat confugiendum⁸⁾.

Idem fere valet de graecae linguae in his sermonibus auctoritate. Sed hic quidem res digna, quae copiosius tractetur.

Ex graecae linguae usu non minus quam ex barbarorum origine vitiatum quendam sermonem latinum fluere saepius

et barbarismos corrumpens (Isidori Etym. IX, 1,7). Verba nimis in universum dicta sunt, quam ut accuratius aut loco aut tempore definiri possint. Schuchardt, Vokalismus des Vulgärlateins I, 83 sq. K. von Ettmayer, Vademecum für Studierende der romanischen Philologie 120 sqq.

8) Recte Schmid (Philologi vol. LXXIX 316) obloquitur Birtio, qui (Jugendverse und Heimatpoesie Vergils 76) putat Sabinum ipsum dici curare curas Vergilii, studiorum scholasticorum nescio quem rectorem. Versus 10 enim

vitamque ab omni vindicabimus cura

intellegendus esse videtur *ὄν ἐρασθήσεται ὁ σοφός*. Ad haec Epicuri praecepta recte refert Jachmann (Hermes LVII (1922) 317) catalepton VII, 3. Huius autem carminis difficillimi, ut est fere natura huius corpusculi, acumen mihi quidem positum esse videtur in eo, quod orationem vocemque praecludere possunt praecepta de moribus prolata, rem ipsam sine ulla medela intactam relinquunt.

Sin autem praecepta vetant me dicere, sane

Non dicam, sed me perdidit iste puer.

Hoc tollunt ei non minus, qui post *sed* interpungendi ratione indicant orationem illam corrigi correctamque redintegrari (Vollmer, Jachmann) quam ei, qui putant quantitatem syllabarum agi (Burmans), vocem latinam graecae opponi (Birt), appellativum vero nomini proprio ex adverso respondere (Schmid). Apparet poetam non scripsisse „*vetant ita dicere*“, nam talia ne cogitatione quidem amplexus est. Critici falso videntur putavisse cardinem rerum versari in eo, quod qui primum est *pothos*, postea *puer* appellatur, decepti prioris vocis obscuritate.

Quintilianus dicit. (Inst. or. I, 1, 13; XI, 3, 30 *non enim sine causa dicitur „barbarum graecumve“*). Nunc autem invenies illos libertinos fermentis graecis uti in temperando sermone cotidiano non ut eos, qui inscitia impediti praeter naturam ac necessitatem linguae latinae saepius non possunt non delabi in consuetudinem patrii sermonis, sed ut germani Romuli nepotes.

Veluti quae apud Graecos desinunt in — *ma* et sunt neutri generis in tertia, ea sequuntur Romanorum primam declinationem: „*Non schemas loquebatur*“ (44), „*stigmam habebit*“ (45,9; 69,1) more vetustissimo eodemque recentissimo. Nam Plautus, qui *glaucomam obicit* (Mil. 148) et *procedit cum servili schema* (Amph. 117) exemplis plurimis veterinariorum, Apulei, ecclesiasticorum mediis tanquam interpositis coniungitur cum Italis, Gallis, Hispanis huius aetatis, apud quos invenias *la crème* (*χρῆμα*) et *la cima* (*κῆμα*) et quae sunt eiusdem generis plurima. Graeca materia fiebat Romani iuris et sonis peregrinis ad normam latini oris pronuntiatis et vocibus latinis ita conformatis, ut aut graece suffigeretur latinis aut latine praefigeretur graecis. Talia usu vulgari recepta per omnes partes imperii Romani in deliciis habentur neque iam alienam mixturam redolent, quamvis sint a polita scribendi consuetudine aliena. *Stateras* et *gastras* commemorare ne Petronius ipse dubitavit, etsi erant simili more ab origine deflexae et orationi Romanae accomodatae. Nam lingua certe vere est Romanus, qui hunc in modum loquitur: *larvas istas percolopabant* (44,5). More enim pervetusto, qui confirmatur titulis antiquissimis et salibus quibusdam Plautinis (Lindsay-Nohl, Lat. Sprache 67 sqq.) quique hereditate a posteris usque ad has romanicas linguas est receptus (*tromper* et *triumphare*, *torso* et *θύσος*, *crème* et *χρῆμα*), non aspirat consonantibus (Cicero or. 48, 160) et vulgi in morem exaequat et assimilat *colap* in *colop* (Baehrens, sprachlicher Kommentar zur Appendix Probi 26), ita ut commodius via pateat ad syncopam, quam in hac voce postea fuisse consuetam scimus (*colpus* non minus in glossis quam *colophus* Grandgent § 237, Heraeus Gl. 44).

Satis leviter seu venialiter peccatur in voce *exinterandi*, in qua formanda graeca *ἐντεγα* et intestina latina nescio quid contaminationis inierunt. Sed cum vix est quomodo orationem Encolpi (54,3) a Trimalchione et coco hac in parte seiungamus (49 passim), in accusando errore libertinorum cautionem adhibebimus.

Eodem fere modo quo *percolopandi* verbum fictum est, quod Habinnas uxori obicit (67,10) *excatarissasti me*. Hoc proprie ad medicorum *κάθαρον* vel purgationem alvi pertinere, hic autem dici in homine ab uxore argento emuncto miror saepius parum esse intellectum⁹⁾. Praeponitur latine *ex*, suffigitur voci graecae — *issare*, quod (= *ἴσσειν*) plurimum usque ad posteriorum memoriam habuit fructum. Ad hanc originem enim redeunt multa illa quae apud Italos desinunt in — *eggiare*, ut *festeggiare*, apud Gallos in *oyer*, ut *nettoyer* (Grandgent § 33; Zauner, Romanische Sprachwissenschaft II 72). Suetoni verbis accipimus (Aug. 87) Augustum solitum esse ponere *betizare* pro *languere*. *Issare* adhaeret stirpi latinae in eis verbis, quibus Nicerus fabellam suam de versipelle horroris plenam claudit (62, 14): *Viderint alii, quid de hoc exopinissent* (locus in ceteris vereor ut iam sit apte emendatus, *viderint qui hoc de alibi exopinissent* H).

Eiusdem flaturae est *apoculamus nos* 62,3; *ego me apoculo* 67,3, quod ne intellexeretur impedit Buecheleri auctoritas. Neque enim debebant hac in parte pro vero accipi, quae attulit vir summus, cum vocem ad Graecorum *ἀποκαλέω* referret, ab omni veri similitudine aliena illa¹⁰⁾. Ut medicorum *catafricare* ita et *apoculare* habet praepositionem graecam stirpi latinae insitam. Neque video quare vis verbi (frg. *reculer*, it. *rinculare*, germ. *ärschlings* = retrorsum) illis locis minus digna sit. Altero enim (62) servus absentia domini abusus (*nactus ego occasionem*) proficiscitur, altero Habinnas minatur se sese recepturum esse nisi Fortunata redeat.

9) Aptius quam Friedländer (du hast mich solange gequält, bis ich dir . . . gekauft habe) Funck (Arch. f. lat. Lex. III, 410) ausbeuteln, Sedgwick clear out of money.

10) Mirum est, quantum argutiarum sit collocatum in hac voce (H habet *apoculanus* = *opoculamus* 62, *apocalo* 67) explananda. Fuerunt, qui *ab* — *oculus*, *apo* — *oculus*, *a* — *poculum* dirimerent dirimendoque intellexerent aut ad *ἀποκλείω* *ἀποκλέπειν* confugerent. Nullo modo mihi persuasit, qui novissime rem tractavit, Franziscus Eckstein Philologi vol. LXXX 1924, 223, *ἐντὸν ἀποχάλαν* subesse his litteris. Sed fateor me quid sit 38,2 „arietes a Tarento emit et eos culavit in gregem“ non satis intellegere. Simili ratione peregrina domesticis agglutinari in verbis quibusdam germanicis satis notum, quorum ex multitudine afferro illud *verschimpfieren*, a quo Paulus Gerhard ne in illo quidem carmine abhorruit quo vetustum *Salve caput cruentatum* germanice reddidit

*O Haupt, sonst hoch gezieret,
Jetzt aber hoch schimpfiet.*

Lupatriae (37,7) formam certe optime interpretatus est Groeber apud Friedlaenderum, cum exempla graeca talia qualia sunt πορνεύτρια, έταιρίστρια, ποιήτρια = poëtria huic voci formandae adfuisse doceret. Eodem modo — *ισσα* ad feminas latine significandas vulgo plurimo usui fuisse docent it. *duchessa*, *principessa*, frg. *maîtresse*. Propius a cenae temporibus abest testimonium Pompeianum CIL IV 4699 *Isidorus verna Putiolanus cunnilingeter*, quod quam late patuerit hac in re licentia contaminandi docet. Cum autem non defuerint, qui vim vocis ab hoc loco alienam esse putarent atque nescio quid laudis desiderarent, insuper addimus optime haec ad sententiam et orationem vulgi esse efficta *sed haec lupatria* (= dieses Luder) *providet omnia et ubi non putes*. Ab hac plebeia ratione, qua in summo acumine laudando nescio quod vocabulum turpe arripitur, satis magno discrimine distat Apulei locus (Met V, 11), quo maritus Psychem monet: *Perfidiae lupulae magnis conatibus nefarias insidias tibi comparant*, nisi quod et hic propria reprehensio impudicorum morum non spectatur. Proposuit enim Thomas sententiam mihi quidem tantum ex mentione in Bursiani annalibus facta (a Lommatzschio vol. 175, 101) notam, quasi utroque loco striga esset interpretanda et *Hexe* vertendum.

Suffigendi quaedam temeritas apparet denique eo quod in personis significandis et graeca et latina nomina facile aut detorquentur aut finguntur in *o*, *onis*, *onem*, etsi exempla in singulis natura et ratione distant. Dico *Niceronem*, *Phileronem*, *Occuponem*, *Incubonem*, *Graeculionem*, *Felicionem*, *Cerdonem*, *Lucrionem* (Heraeus Gl 14, 44). Quanta fuerit vis et auctoritas Nasonum, Capitonum, Frontonum, Bucconum, quos plerumque ex magnitudine nasi, capitis, frontis, buccae nomen cepisse apparet, ex Italicorum augmentativis (*avarone* et quae sunt similia) perspicitur.

Hoc certe apparet Petronium peregrinam libertinorum originem consilio saepius in illorum humilitate denotanda commemorare, nullo modo adhibere in ipso genere dicendi conformando.

At insunt, dicunt, in illorum oratione singula quaedam per soloecismum ad normam linguae graecae ficta.

Hanc sententiam, quae mirum est quam saepe a viris doctis soleat seu leviter significari seu disertis verbis pronuntiarum, tuetur et lexicon Petronianum, quod Segebade et Lommatzsch

confecerunt (cf. p. V)¹¹). Equidem nego. Sed necesse est exempla allata diligentius perscrutemur.

Nicros, qui rem habuit cum copa quadam, his verbis feminae mores laudat: *nec unquam fefellit sum* (61,8). Quare Heraeus (Gl. 40) hanc verbi formam fortasse ad exemplum graecae linguae fictam esse putet, equidem non satis intellego, nisi forte reduplicationem ipsam Graecorum esse contendis. Attamen *falsum* cum esset in alios usus detortum, necessitate quadam perfectum novo quodam participio auctum est, ut *peperci*, simili penuria pressum illud, participio *pepercitum* (apud Luciferum episcopum Sardum; Otto, Fleckeisens Jahrb. XXI (1875) 652). Fuerunt, qui et *fallitus*¹²) fingerent (Benedicti regula 45). Quod romanice linguis subest praeter verbum fallendi *fallire* sitne ortum ex hoc *fallitus* mitto hic quaerere. Nil certe hic exstat, quod ad linguam graecam sit referendum.

Neque video quantum lucri capiamus ex usu graeco in verbis Ganymedis intellegendis (44,3) *aediles male eveniat, qui cum pistoribus colludunt: serva me, servabo te*. Graecorum enim *κακῶς ποιεῖν*, quod Buecheler exempli loco affert, nil habet, quo huic sententiae sit simile, neque Graeci ubi cui male imprecabantur *ἐς νόρακας κακῶς ἀπολομένῳ*, ulla necessitate ad accusativum ferebantur. Aliter igitur verba interpretanda esse apparet. Ganymedes, cum de annonae caritate queratur, ut est plebeculae mos, in aediles invehitur. Horum cogitatio tanta vi animum loquentis occupat, ut a nominativo libere posito incipiat, pergat ita, ut sine ullo ordine verborum imprecationem addat: *aediles — male eveniat — qui*. Habent sane verba plus difficultatis¹³),

11) Zwiener (De vocum Graecarum apud poetas Latinos ab Ovidi temporibus usque ad primi p. Chr. n. saeculi finem usu, Breslauer philologische Abhandlg. IX, 6, 1909) declinandi rationem a Petronio in versibus et in oratione pedestri initam diligentissime curat, ab hoc nostro proposito plane alienus est.

12) Ut *pepertum* invenitur in papyro plebeiae latinitatis plena. Marx Archiv für lat. Lex. XV, 88.

13) Simile quid inest loco vix minus difficili 58,3, si quidem Buechelero priorem interpretationem sequimur: *at istic euge, qui tibi non imperat* (aut isti geuge, qui tibi non imperant H. Nunc solet scribi *at isti nugae, qui tibi non imperant*). Gurlitt proponit (Petroni Satiren übersetzt 1923, p. 268) *at isti? φεῦγε* etc. ut *allez, pascholl*. Commemoro autem locum nulli dubitationi obnoxium: 38,12 *sed liberti scelerati, qui omnia ad se fecerunt!* Aber die Spitzbuben von Freigelassenen, die alles eingesackt haben (Friedländer). Dignum denique, quod hac in re attendatur, eundem libertinum simili licentia eodem fere loco uti videri 44,2 *iam annum esurio fuit* (Sic traditum est. Solet

quam similia, quibus apud Petronium iusta iunctura orationis dissolvitur (e. gr. 62, 11) aut ea, quae ex usu aliorum scriptorum in eodem genere afferuntur (e. gr. Kühner-Stegmann Satzlehre 2, 586, 3). A Graecis certe vel qui non accipiet illam nostram interpretationem, nil aut praesidii aut auxilii repetet.

Trimalchio, ut ad aliud exemplum graecissantium libertinorum transeamus, cum ipse gloriatur (52, 3) *meum intellegere nulla pecunia vendo*, infinito verbo utitur in modum Gallorum fere (*plaisir, pouvoir*) vel Italarum (*piacere*). Ad infinitivum munere substantivi exornandum videntur duo semina origine et natura diversissima contulisse, alterum popolare, ut Plautina illa *tuum amare, totum amare hoc* Curc. 28, 180, alterum doctorum lucernam et oleum redolens, ut grammaticorum, iurisconsultorum, philosophorum acumiña verborum. Horum animis non nunquam Graecorum consuetudinem esse observatam nemo negabit, quae in Trimalchioneo illo valet nulla. Persiana illa (I, 122) *Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo Iliade* et I, 27 *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter* ad utram provinciam sint referenda, nolo diiudicare.

Simile est in voce graeca, quod mihi certe persuasit Heraeus scribendum esse 28, 3 *hoc suum propin esse* (Rhein. Mus. LXX, 25); *προπιεῖν* = Vortrunk. Hoc ex Graecorum ratione epularum ad convivia Romanorum traductum plane pro substantivo erat (Mart. XII, 82, 11). Sed et hic nil est quod Romanorum *biber* (Charisius p. 124 *K dare biber* probat auctoritate Titini, Catonis maioris, Fanni) ortum illud ex infinitivo ut *instar ex instare* (Lindsay-Nohl, L. Spr. 616) ad auctoritatem graeci infinitivi *πιεῖν*, quem Wölfflin bene cum recentium Graecorum vocibus *τὸ φαγί, τὰ φαγιά* (= *φαγεῖν*) contulit (ALL. III, 91), revocemus. Satis prudenter de hoc infinitivi apud Romanos usu iudicat Svennung, Orosiana, Upsala 1922 p. 83, qui iure obloquitur eis, qui hoc genus dicendi putant ex umbraculis eruditorum tandem in usum semidoctorum transiisse.

corrigi in *esuritio*, primam personam verbi intellegit Révay (mihi ex supplementis editionis Heraei (284) tantum notus) et Gurlitt, qui vertit: Jetzt haben wir „ich hungeré“ schon ein Jahr lang. *Bene eveniat* Petronius ipse solet per parenthesin (*quod b. e.*) et absolute sine dativo sententiis iungere 99 et 117). Cf. denique 37, 9 *familia vero — babae babae! non mehercules puto decumam partem esse, quae dominum suum noverit. Quant à ses esclaves — bigre, bigre — je crois* etc. vertit Ernout in editione Parisina 1922.

Percommode docet Trimalchio insulsa illa ambiguitate, qua sub titulo *contumeliae contum cum malo* (haec forma ut scriptoris interpretamentum non mutanda est) offert (56,8), non modo doricum *μᾶλον* sed et ionicum seu atticum *μηλον* Romanorum in usu fuisse, id quod testimoniis aliis aetate posterioribus et romanicarum linguarum usu (*il melo* it., de *malis* nil vestigiorum relictum est) expectandum erat (Meyer-Lübke, Einführung³ 122). Cum autem utrumque Graecis debeatur, qui possumus soni peregrinitate corrupti convincere eos, qui malunt Atticos quam ceteros quosdam sequi?

Trimalchionis denique illud de funere provisum (71,10) *faciatur, si tibi videtur, et triclinia* fuerunt, qui ad auctoritatem usus graeci revocarent in eo, quod singularis adhaeret generi neutri in plurali posito. Sed haec ab omni veri similitudine alienissima Trimalchionisque ratione prorsus indigna sunt. Poterant haec in scriptis sacris religiose et anxie ad verbum interpretandis fieri. Sed finge — quod re vera a Petronii consilio abhorret — Trimalchionem latine ita balbutire, ut nimia memoria graeci sermonis peccet, quem vel cogitationis libidine promoti putabimus illius normae graecae linguae memorem esse, cum utatur neutro genere in plurali latino? Haec excogitata sunt a grammaticis huius aetatis, qui a pueris consuerunt leges graeci sermonis cum Romanorum usu conferre. Veri peregrinorum errores non continentur inauditis his artificiis vertendi. Idem fere sensisse videtur Löfstedt, peregr. 292, sed cum ipse accusativum intellegat a verbo impersonaliter adhibito pendentem atque conferat Plaut. Trin. 869 *agitandumst vigilias* aut Sallusti Hist. IV, 10M *castra introitum* similia, mihi quidem non probavit propriam sententiam neque Heraeo persuasit (suppl. ed VI, p. 286), quem miror sequi illam sententiam, de qua supra. Sed facilius hac in re refellitur, quam corrigitur. Equidem redeo ad Buecheleri illud in editione maiore propositum „feminine tanquam cenatio“, nisi quod addo hoc femininum natura et origine esse revocandum ad neutrum genus plurale. Quantopere et Trimalchionis et ceterorum libertinorum oratio in usu neutri generis ab elegantia recedat, infra accuratius docebimus. Pluralia in — a saepissime a plebe pro singulari esse accepta constat. Hinc nova quaedam declinandi ratio fluxit: *armentas, membras*, similia in glossis (Grandgent § 352). Trimalchio ipse (76,11) habet *intestinas meas noverat* (recte Löfstedt peregrinatio 136

obloquitur Heraeo, qui *partes* mente suppleverat). Hac ipsa voce coniungitur cum defixionum sermone plebeio (*itestas* CILX 8249, Audollent no 190, Diehl Vgl. I. no 852, *bracias* . . [nam *labias* et *nervias* et alibi] Diehl Vgl. I. no 851). Facilis patuit via ad declinationem primam in illis exemplis, quae collective seu abstracte posita, ut more grammaticorum loquamur, una eademque imagine amplectebatur cogitatio. Vetustae affinitatis testimonium *opera* — *opus*. *Pecora* est pro armento, postremo, ut nunc apud Italos, pro ove, vela, quae in unum coeunt intuenti, distinguuntur a singulis velis (*vela* Segel *velum* Schleier in linguis romanis). Audiuntur singulariter apud postremos scriptores latinae linguae *gaudia*, *ligna*, *tribula*, *gesta*; *folia* spectant vel spectat ad frondem comatae silvae, foliu — folii dicitur in singulis et quae sunt plurima eiusdem generis. Nunc autem vox triclinii apud Petronium semper¹⁴⁾ ad cenaculum vel refectorium pertinet. Est igitur hic, de quo loquimur, locus ab omnibus ceteris nescioquomodo seiunctus. Hic autem Trimalchio neque singulos lectos neque singula cenacula intellegit, sed totum apparatus accubitorium seu epularem comprehendit. Ad Graecos certe ne illi quidem confugere licebit, qui nolet hanc interpretationem amplecti. Sed subest suspicio quaedam, ne hoc exemplum radicitus evanescat ex interpretatione ordinis verborum correcta. Quid si intellegamus: *et triclinia facies et totum populum sibi suaviter facientem*. Hunc ordinem habet P. alibi: *ut naves . . . facias . . . et me, ut . . . catellam pingas et coronas sqq* (singulare studium variandi verbi consilio introductum esse videtur), *poma volo sint circa cineres meos et vinearum largiter*. Jam necesse est trahamus *faciatur* ad *epulum* ita, ut alterum exemplum plebeiae latinitatis *scis* quod removeatur. *Scis enim poterat inseri, ut scis, magna navis* 76,6, *ut scitis* 77,4, quod utrumque est Trimalchionis. Minus

14) In lexico Petroniano afferuntur ex cena loci XXIII, praeter cenam III. Inter hos qui est 85,4 forte cum in triclinio iaceremus eodem modo intellegendus est, cf. 86,6 in eadem historia: *mane sedere in cubiculo coepit atque expectare consuetudinem meam (de cubiculo recta in triclinium 41,10)*. Hoc loco moneo Trimalchionis illud liberaliter permissum (47,5) *nec tamen in triclinio ullum vetuo facere, quod se iuvet* mira quadam similitudine coniungi cum titulo quodam latrinae Pompeianae, cuius vim nondum inveni expositam: *Marthae hoc trichilinium est, nam in trichilinio cacat*. (CIL IV 5244). Ex normis enim artis logicae iure ac merito iubetur latrinam adire cenandi causa, qui fecit in triclinio, quae latrinae sunt.

apte currit *quod epulum dedi binos denarios* (eodem modo pretium apponitur 45,10), *faciatur = illud epulum, quod binorum denariorum dedi, faciatur*. Itaque malui illam alteram interpretationem amplecti.

Eos qui osce fabulantur, latine parum sciunt aliquid valuisse ad orationem horum libertinorum conformandam nullo argumento probari potest. Veluti qui de panis caritate queritur, cum loquitur *nunc oculum bublum vidi maiorem* 44,12, maluit syncopen¹⁵⁾ audere quam nescio quid oscum imitari; scimus enim memoria linguarum romanicarum hanc vocem (cf. *bufalo, bifolco*) esse inter perpauca illa exempla vulgaris dictionis, quae secundum Umbrorum vel Oscorum consuetudinem litteram *f* intervocalem conservant. *Bubulcorum* mentio et a Trimalchione fit 39,6. *Petraites* gladiator (52,3 et 71,6) illi *Tetraiti* in titulo Pompeiano 538 posset eadem ratione respondere, ut Oscorum *petora* excipit latinum *quattuor*, graecum *τέτταρες* ex notae cuiusdam legis necessitate. Sed praeter nimium artificium interpretandi obstat copia testimoniorum de utraque forma nominis huius gladiatorii inventorum atque longe ab omni Oscorum auctoritate remotorum (Buecheler, Glotta I, 1; Dessau, ILS 5137 sq), ne quid consilii nomini a Petronio electo inesse putemus.

Demonstravisse nobis videmur his sermonibus nil inesse, quod possit ad corruptam peregrinorum orationem referri. Multo brevius disputare licet in altera quadam opinione refellenda, quae mirum est quantopere vigeat non tam apud eos qui rei ipsi operam dederunt quam in compendiosa doctrina¹⁶⁾. Sunt enim qui dicant Petronium depingere quaedam, quae in Campania vel in eis Italiae partibus quae ad meridiem spectant, in usu fuerint. Huius autem sententiae ne levissimum quidem argumentum potest inveniri. Nam quis quaeso sibi persuadebit, cum appareat omnia illa, quorum naturam bene perspicimus, esse interpretanda ex diversa ratione, paucissimas eas voces, quarum aut origo aut vis minus constat, ex Campaniae usu in officinam

15) Quam in eadem voce adhibent Pompeiani 1550 *bubla* XVII (intelligenda esse videtur caro). Cf. et *subla* 1721, *manuplos* 2070. In narratione sua Encolpius ipse commemorat *bubulae frustum* 55,3.

16) Meyer-Lübke (Gröbers Grundriss der roman. Philologie I²) 493, Friedländer in editione² 13. Plausu dignus est Debrunner, quod in Stolzii historia linguae latinae iterum edenda tacite errorem de medio sustulit (cf. 12¹ et 11²).

scriptoris pervenisse? Sed nolo diligentius tractare, quae honore quaestionis minime digna sunt. Nescio an et Schanz, cum dicit: „In das kleinstädtische Treiben hat er einen tiefen Blick getan und von krähwinkliger Denkungsart wie Sprache ein köstliches Abbild gegeben“ (Röm. Literaturgesch. II, 2³, 132) aliquatenus illi errori adhaereat. Petronius certe, cum in moribus et sentiis depingendis homines angustissimis nescio cuius terrarum anguli¹⁷) finibus circumscribere videatur, in oratione conformanda rusticam asperitatem non magis sibi proposuit ad veritatem usus imitandam quam peregrinam insolentiam.

Vidimus, quid non spectaverit scriptor. Nunc rationem scriptoris ita adumbrabimus, ut paucis exemplis primum quidem demonstramus, quo modo hic tanquam in usum studiosorum plebeiae grammaticae testimonia consilio et ratione eligantur, repetita inculcentur, omnibus ex partibus illustrentur. Scimus hac aetate discipulos facile in usu verborum praeter expectationem aut transitivorum aut intransitivorum errare. Sed peccabatur eodem modo et intra muros linguae latinae ab eis, qui non iam cogitatione propriam vim verbi amplectebantur, qui, ut hoc exemplum afferam, *persuadere* habebant eodem fere loco quo *monere* nec iam subintellegebant *suaudentem prospere cedere*. Dativo iunguntur facile omnia verba, quibus nescio quid auxilii ferendi inest, ut illud ecclesiae *Miserere nobis*, a parte opposita necessitate atque natura multa intransitiva auctoritatem synonymorum verborum patiuntur tantopere, ut in usum transitivum abeant. Petronius rem tabula tanquam proposita illustrat: *Ita fruniscar meos* 44, 16; *persuadeo hospitem* 62, 2;

17) Nam fateor me quidem non aut Mommsenii (Ges. Schr. VII 191 Herm. XIII (1878) 106) auctoritate moveri, ut Trimalchionem putem Cumis ipsis potuisse loqui: *Nam Sibyllam quidem Cumis ego ipse oculis meis vidi* (48,8), aut Buechlero (Rhein. Mus. LVII (1902) 327) Nordenioque (Die röm. Lit. Einleitung i. d. Altertumswissenschaft I³, 4,114) *cedere velle*, qui illas in Asia Cumas a Trimalchione dici volunt. Nam fac ibi omnino Sibyllam fuisse — perpendas velim lubricam tenuitatem testimoniorum, inter quae hoc Petronianum ab omni veri similitudine et ipsum alienum facile primum locum tenet: PW II, 4, 2094 —, quis potuit Cumis, in urbicula vetusta laude Sibyllae insigni, haec verba ad remotam illam Sibyllam revocare, quis unquam urbem nominis aemulam hoc modo significare? Libero quicumque iudicio rem aestimabit, inveniet illum *modum tollendo ponentem*, quo utitur Mommsen in illa disputatione, habere nimium acutae cuiusdam et praecisae elegantiae, quam ut naturae huius propositi omnibus a partibus respondere possit.

te persuadeam 46, 2; *si ante venisses, saltem nobis adiutasses* 62, 11; *tam bonae memoriae sum, ut frequenter nomen meum obliviscar* 66, 1. Omnia haec singula si diiudicantur, plurimo comicorum, ecclesiasticorum, posteriorum usu probantur (Kühner-Stegmann, Satzlehre I 103, 259, 383, 472). Leviora quaedam Petronius vel Encolpio attribuit atque sua tanquam tutela recipit, ut in passivo *persuasus est* 81, 5; reedit, quod est libertini cuiusdam, *cave maiorem maledicas* 58, 13, et extra cenam *maledic illam* 96, 7. Distat hic cena a ceteris testibus non tam natura, quam numero exemplorum singulari quodam consilio coactorum.

In verbis componendis et recomponendis plebeius sermo saepius a normis scholae distat. Aliquid discriminis oriri inter simplex et compositum verbum in vulgari oratione molestissime fertur. Solet igitur hic restitui primitivus accentus, primitiva forma vocalis (cf. *mi displicet* — *mi spiace* (it.), *demorat(ur)* — *dimora* (it.), *demeure* (frg.)). Seelmann, Aussprache des Latein 58 ff. Lindsay-Nohl 230. Grandgent § 139). Ne autem putes omnia, quae spectant ad hoc studium formarum exaequandarum, eadem lege teneri, obstant exempla longe aliter comparata. Varietatem rei Petronius optime duobus testimoniis eisque gravissimis illustrat. Alterum est illius laudatoris temporis acti, qui (44, 18) praedicat prioribus temporibus pia vota ad faustum eventum esse perducta: *statim urceatim plovebat*. *Perplovere pateram* in sacris testatur Festus p. 250. Hic elegantia dicendi simplex verbum ad auctoritatem compositorum (*compluit, perpluit, impluit*) reformavit, plenam et veram formam (*pluvius, impluvium*) vulgaris ratio dicendi usque ad haec tempora retinet (*plove* it. Meyer-Lübke, Einführung³ 180). In verbo *claudendi* longe alia ratio inter scholam et vitam intercedit. *Cludendi* forma non solum est Trimalchionis (*cluso ostio* 63, 8), sed eadem producitur a primo p. Chr. n. saeculo plurimis cum aliorum tum ecclesiasticorum scriptorum exemplis (Roensch, Itala und Vulgata², 465; de Martialis hac in re memoria nuperrime Heraeus, Rhein. Mus. LXXIV (1925) 333) usque ad Italos huius aetatis: *chiuso*. Hoc loco videmus plebem antepone auctoritatem compositorum (*concludere, includere*) primitivae formae. Eadem ratione interpretor Trimalchionis illud *maevoluit* (77, 5), quod habet apud Plautum et apud recentissimos auctores latinitatis, cum quibus conferatur. Superat certe haec forma consuetam perspicuitate et tenacitate, sed nolo tacere, quae Vossler ex altissima

tanquam specula edit: Wenn man . . . erwägt, wie vom Vulgärlatein das Verbum *velle* aus seiner Verwachsenheit mit *nolle* und *malle*, und *posse* aus seinem Zusammenhang mit *esse* herausgelöst . . . worden ist, so erkennt man . . . wie wichtig den Sprechern nunmehr das Willensmoment . . . geworden . . . (Neue Denkformen im Vulgärlatein, Festschrift für Ph. A. Becker 185).

Nonne videtur Petronius exempla sua fingere in usum eorum, qui romanicarum linguarum hac aetate studiosi quaerunt, quibus rebus vulgaris copia verborum distet ab urbanitate? Sed omnia haec sunt accepta sine ulla admiratione, quasi alia ab illo omnino nullo modo potuissent expectari, etsi nemo harum rerum mediocriter peritus negat, quam turpiter ignoremus plurima ea, quae ad vulgarem provinciam sermonis latini spectant.

Imaginem autem Petronii magistri tanquam vulgaris latinitatis absolvemus ita, ut ex primae coniugationis doctrina quaedam delibemus. In illa enim scimus perpauca verba non consuetam normam — *avi*, — *atum* sequi. Apparet haec natura ac necessitate difficillime peculiare suum genus posse tutari. Minime igitur miramur Bibliorum sacrorum codices et similes textus refertos esse formis talibus, quales sunt *adiuvavi*, *domatus*, *vetatus* (cf. *domato*, *vietato* it.)¹⁸). Hanc viam demonstrat scriptor, cum Trimalchionem faciat hoc modo in uxorem invehentem (74, 14) *curabo*, *domata sit Cassandra caligaria*. Sed obstant quaedam, ne semper in hanc partem assimuletur coniugatio. Mirum enim est, quantopere verba in — *ui* — *utum* formata *finis* imperii in vulgari provincia promoverint. Habebant quae sequerentur exempla *minuendi*, *statuendi*, fuerunt et, quae in praesenti facilius semivocalem litteram *u* amitterent quam alibi, ut *battuo*, *battui*, *battutum*. Sic factum est, ut evaderent romanica illa *avuto*, *perduto*, *venuto*. Apparet perfectum in *ui* formatum haud sine aliqua acerbitate restitisse, cum in honorem et gratiam analogiae primae coniugationis de medio tollendum esset. Immo erant, quae suaderent illam rationem, quam in eodem exemplo bis illustrat Petronius (47, 5; 53, 8). *Vetuo* qui finxit, praesens ad auctoritatem perfecti novavit. Heraeus (Gl. 39, 59) multa similia ex glossis affert.

18) Veluti Act. ap. 16, 6 *vetati sunt* (Vulg.), Jac. 3, 7 *et domata sunt* (Amiat., Harlei.). Roensch² 295 sq. Neue Formenlehre III³ 526. Petronius ipse in urbana oratione vix potest *adiuvatuos* admittere 18, 3, cum tribus ceteris locis consuetudinem ac normam sequatur. „Epitomatoris opinor culpa“ B.—H⁶ ind. p. 145.

Scriptor igitur minime ita rem egit, ut *ambulando per tabernas, latitando per popinas* ex ore sordidissimo vulgi arriperet, quae forte fortunaque offerebantur. Sed necesse est omnibus ex partibus fabricam Petronianam illustremus ita, ut tabulam praesentiae non magis quam absentiae describamus. Tunc demum ex recessu tanquam atque umbra clarius scriptoris ratio apparebit.

Caput secundum.

I.

His temporibus quicumque idem fere sibi proposuerit, quod Petronius, nil habebit antiquius nisi hoc, ut nescio qua imitatione reddere conetur orationis sonos ipsos, quos videt in usu vulgi vel rusticorum a iusta scholae elegantiaeque norma detortos tanquam esse atque depravatos. Harum rerum aut nil aut perpauca attigisse Petronium primum quidem miramur. Nam etsi aliquantum discriminis interesse vult scriptor inter orationem Trimalchionis ipsius et eorum, qui nescio quam doctrinae umbram affectant, et ceterorum quorundam genus dicendi, quos omnibus Musis invitis natos esse dixeris, tamen nullam fabulae personam facit Petronius in vocibus pronuntiandis quicquam eius rationis proferentem, quae titulis parietariis Pompeianis temporis et loci vinculis maximis cum cena Trimalchionis coniunctis plane consueta atque sollemnis est. Nimis odiosus putandus est visus esse ille atque in suspicionem religiosi cuiusdam fastidii incurrisse, quicumque „n“ ante „s“ anxie tuebatur, aspirationem nunquam neglexit; ingenti mole exemplorum apparet litteram *m* finalem, monosyllaba¹⁹⁾ si excipimus, pro mortua fere esse habitam. Omnia haec et quae sunt eiusdem fere generis innumerabilia alia adeo reliquit intacta scriptor, ut ne eos quidem risui traderet, qui tacito quodam sensu huius inter scholam et vitam discriminis periti, rei ipsius parum gnari „*chommoda dicebant, si quando commoda vellent*“, *pariens, honerata* (CIL IV 3864) aude-

19) In quibus sonum finalem multo maiorem habuisse vim natura ac necessitate intellegitur, in qua reddenda tituli malunt *n* quam *m* pingere, quod optime cum exemplis romanicarum linguarum convenit (*con it., rien fr., quien hisp.*) neque ullo modo, si recte video, ex auctoritate earum, quae proxime sequuntur, litterarum deduci potest. Cf. praeter illud quod defixionum est „*quen peperit*“: *quen* omnes sodales sui querunt CIL VI 34 025, *quen* quisque IV 1997, *tan durum* IV 1895, *cum Fileto hic fellat* IV 2402.

bant nimiaque urbanitatis affectatione peccabant. Nam quae Petronius ex hac provincia artis grammaticae protulit, ea aut tam levia sunt, ut loquentium dignitatem vix ulla infamia minuant, aut incertiora, quam ut ullum scribendi consilium inde elici possit.

„*Et ego tibi plodo*“ in ore centonarii (45,13) distare videtur a Petronio ipso, qui sex fere locis plena forma utitur. Trimalchio videtur (nam codex habet *totam*) 40,7 loqui „*etiam videte, quam porcus ille silvaticus lotam comederit glandem*“, quod si quidem est subrusticum, non modo a Petronii ipsius ratione quattuor fere locis probata distat, sed etiam ab Habinnae genere dicendi, qui haec narrat: *Scissa lautum novendiale*²⁰⁾ *servo suo misello faciebat* (65,10). In illis verbis si Trimalchio nobis assimilando obtulisset *salvaticus* illud, quod romanicis vocibus *salvatico*, *sauvage* desideratur quodque exstat apud veterinarios et glossographos, multo magis recessisset ab elegantia dicendi. Satis leviter enim peccabat, qui *lotus* vel *plodo* pronuntiabat, quae fuerunt certe tenuioris cuiusdam notae, etsi ne hoc quidem satis apparet, pleniorne an brevior forma sit vera atque genuina²¹⁾. *Coda pro cauda* adeo probata atque accepta erat, ut, cum ceteris locis hoc rusticorum *o* latinum sciamus nil valuisse in romanicis linguis formandis, *coda queue* vel nunc apud Italos et Gallos peculiarem suum locum teneat ab aperto illo *o*, quod originem ex *au* latino deducit, seiunctum (*oro*). Clementer igitur iudicabimus de Ganymede (44,12): *haec colonia retroversus crescit tanquam coda vituli*. Ceterum ne hic quidem satis patet, quae ratio inter duas has formas intercedat. Inter *coponem* libertinorum, qui tribus locis commemoratur, et *cauponem* Petronii ipsius (98,1) aliquid interesse videtur. Nihilominus nil illa voce consuetius, quae ex *copae* similitudine auctoritatem accepit. Vulgare *o* ne ad Ger-

20) *Laucum novendialem* in codice. Quid, si „*lotam cenam novendialem*“? Heraeus *novendialem* retinet atque inter nomina rustice inflexa in indice refert. Sed cum cetera exempla talium errorum et ipsa optime intellegantur neque habeant, quo obscurum hoc *novendialem* illustrent, haereo.

21) *Oraculários* (43,6) nunc solent retinere editores ita, ut intellegant formam in plebeio usu ad auctoritatem oraculi a sententia hic non alieni ex *oriculariis* vel *auriculariis*, glossarum et bibliorum consuetudine notis (Heraeus Gl. 7) depravatam. Simplex vocalis pro diphthongo mutata et hic levissimae culpa est, cum ne Ciceronis quidem oratio familiaris ab *oricula* (ad Quint. fr. II, 13,4) abhorreat.

manos quidem pervenisse — nam got. *kaupōn*, germ. *koufōn* ad *au* redeunt — satis mirum, quod fuit qui explanaret ita, quasi *caupones* „lento“, non „allegro“, ut grammaticorum ritu loquamur, in mercibus suis ad limitem Romanum exhibendis late „*caupo*“ clamassent.

Consilio videtur illud esse institutum, quod Trimalchio *sūsum*, non *sursum* dicit (77,4; res satis trita, it. *suso*, *Dossennus* = Dr. Buckelorum, Grandgent § 291), etsi non satis apparet, quare non idem ingesserit scriptor 58,4 et 63,9, nisi forte horum duorum locorum diversam rationem in eo ponis, quod utroque loco *sursum* et *deorsum* inter se opponuntur.

Aliis locis iudicium vix potest esse apud grammaticos, sed potius apud philologos, si omnino perspicui potest, quantum librario, quantum Petronio, et hic quidem, quantum consilio et rationi irrisoris, quantum fortuitae temeritati sit attribuendum.

Habuitne Petronius in animo depingere imitatione sonorum, quicquid perturbationis inter *e* et *i* in hiatu natura ac necessitate oriebatur, cum utrumque inciperet medium quendam locum inter vocalem et jod tenere? Nam scimus Pompeianos habere huius rei exempla plurima, ut *casium* (5380, 4422), *abiat* (538), *periat* (1839), *iamus* (5092), *alia* 2119, *urna aenia* 64. Huius usus non neglegentem fuisse scriptorem ut putem, eo adducor, quod et unius historiae finibus tria exempla perspicua comprehendit et urbana a vulgaritate aperte segregavit. In oratione Trimalchionis enim est (51,1) *se soleum Jovis tenere* (*coleum* trad. tuentur Ernout et Gurlitt), *solium* est apud Encolpium 92,6 et 73,5 (hoc loco *solo* trad). *Corinthius* recte exstat in narratione ipsa 31,9 et 50,1, *Corintheus* quinques in capite 50 consulto ita ponitur, ut insulae cuiusdam ambiguitatis sit copia, cum possit praeter urbem et argentarius quidam nomine Corinthus intellegi. Cum in his duobus exemplis Trimalchio peccet ita, ut vel eis locis, ubi iotacimus recte se habebat, falsam elegantiam litterae *e* interponeret, habet eadem oratio tertium denique exemplum, quod eandem provinciam ab altera parte illustret, *martiolum* (51,4). A *marclo* passim (cf. *martello*, *marteau*) *marthum* fictum est, quia inter *tl* et *cl* saepius inconstantia usus et urbani et plebei erat: pro *vetlo veclus*, pro *capitlo capichum* pronuntiabatur (app. Probi, it. *vecchio*, *capecchio*); — *iolum* autem hic pronuntiat Trimalchio, nisi fallor, ut alii *capriolum*, *araniolum*, *lanciolum*; ad nescio cuius analogiae vim esse formatum *martiolum* nemo negabit: Buecheler similitudinem *mallioli* vel *malleoli* aliquid valuisse

in hoc suffixo putat, Heraeus (Gl. 45,49) Itolorum *vermicciuolo* ex *vermicuolo*, *vermiculo* derivatum ut simile affert. Vix opinabimur talia exempla, qualia *gladiolus*, *filiolus*, tantae fecunditatis fuisse, ut *martiolos*, *vermiciolos*, *manuciolos* ex auctoritate analogiae parere pössent. Multo facilius rem ita explicabimus, ut dicamus eandem, quae in simplicibus, fuisse et in deminutivis, in *urce(i)olis*, *calceolis*, *perturbationem*. Et hic quidem quaerendum est, nonne iam Petroni temporibus pronuntiatum sit *martiolus*. Aliter enim vix video quomodo *-olus* in *-iolus* potuerit abire. Pompeiani praeter nomen *Aurioli* septem locis inventum nil habent, quod respondeat. *Putiolanus* 4699 et *Putiolanae* 2152 vix afferri possunt. Sed non video, quare dicamus tertio demum saeculo filiolum pro filiolo esse pronuntiatum (cf. *figliuolo* it). Percommodo testimonio commemorat Trimalchio alio loco (63, 8) *manuciolum* Handvoll, Bündel (*maniplus*, *maniclus*, *manuclus*, *manuciolus* Heraeus Gl. 45 Baehrens 117), in quo litterae *c* et *i* plebeium usum sapiunt. Temere ac forte haec exempla proferri ne putemus, obstat mira multitudo testimoniorum in unam illam orationem coactorum. Petronius igitur et hic, ut supra aliis locis, unam partem grammaticae plebeiae multis ac variis a partibus illustrat atque absolvit.

Sed est sane cavendum, ne ad libertinos reiciamus, quae sunt librariorum, quorum ex usu scimus Schuchardtium, cum illustrissimo opere vocales vulgares latinae linguae exsequeretur, plurima exempla hausisse. *Frustra* pro *frustis* si acciperemus in oratione vulgari (66, 5), tolleremus in urbanitate narrandi (35, 3 et 59, 7), nil haberemus iam aut rationis aut normae, unde libertinorum genus dicendi et scriptoris consilia metiremur²²). Eodem modo *culcitram* et *credras* (38, 5 et 38, 1) ad culpam librariorum nescio an reicere debeamus. Lis certe est neque apud grammaticos neque apud criticos. Nam nemo negat *culcitram* iam apud veteres saepissime *r* augeri atque etiam nunc quibusdam locis plenior formam tueri (Meyer-Lübke, Rom. Etym. Wörterbuch no. 2372 *coltrice* it.) Peccatur autem apud Petronium a librariis eodem modo in hac voce et ibi, ubi nulla vulgaris sermonis suspicio est (cf. lexicus Petr. p. 40). *Credra* pro *cedra* regressiva, ut more grammaticorum loquamur, ratione formata est,

22) Cf. quae Buecheler indici sermonis editioni Petronianae addito praefatus est. Heraeus Gl. 47 sq.

quae est progressiva in *frustro*, de quo modo locuti sumus, et in *crocodrillo*. Sed omnia haec parum probantur in consilio scriptoris in ceteris patefacto. Unum est, quod nihilominus illa duo retineri iubeat aut iudicium certe suspensum teneat dubitatione: quod utrumque in eadem eiusdem libertini oratione (38) exstat. Sed abhorrebimus ab *hostiario* Trimalchionis (77, 4), cuius falsam aspirationem non modo Gallorum orthographia (*huissier*), sed et Germanorum quorundam Rhenanorum vera pronuntiatio (Hissje) retinet. Vox saepissime apud posteros et apud librarios hac ratione depravatur. Quod ille *credrarum* et *culcitrae* dubius auctor non habet falsam aspirationem in memoria eiusdem vocis (37, 8), vix quicquam probat, cum habeat Trimalchio praeter ceteros aperta quaedam testimonia nimiae urbanitatis, de quibus ultimo capite agemus. Sed illud dignissimum, quod in iudicio proferatur, quod Petronius in ceteris a tota hac provincia aspirationis seu neglectae seu nimia elegantia adiectae plane alienus est.

In universum igitur contendimus Petronium in eo non recessisse a more ceterorum scriptorum latinorum, quod noluit in scribendo sonos ipsos, semina illa tanquam corporalia linguae, mutare. Sed insunt in libertinorum genere dicendi, quae quodammodo cum hac provincia artis grammaticae cohaereant. Dico illas sententias saepissime tractatas *videbo te in publicum* 58, 4; *voca cocum in medio* 49, 4; *fui hodie in funus* 42, 2 (Löfstedt, peregr. 173). *Foras* in vulgari oratione ter pro *foris* dicitur, a quo genere dicendi Encolpius vel Petronius ipse plane alienus est: *C. noster foras cenat* 30, 3; *omnia foras parata sunt* 47, 5; *populus est domi leones, foras vulpes* 44, 14. Eodem fere modo in taberna Pompeiana: *Itis, foras rixatis* (3494 i). Omnes fere linguae plenae sunt sententiarum ita contaminatarum, ut in eodem ordine verborum et „quo“ et „ubi“ quaeratur. Singula verba exemplorum si intueberis, saepe facile originem perturbationis perspicies. Veluti in Pompeiano illo illud, quod antecedit, *itis* quamvis alienum a duobus ultimis verbis, ad accusativum ablativi loco positum aliquid conferre videtur. Quam facile ex sententiae quadam ambiguitate alterum pro altero potuerit commutari, docet titulus sepulchralis VI 13070 *cum aria faras²⁵ cinta*. Saepius

25) Assimilationem, quae eadem offertur Pompeis (IV 4278) *fures faras, frugi intro* (Diehl, pompejanische Wandinschriften no. 720) copiose illustrat Baehrens (Sprachl. Komm. zur vgl. App. Probi 29). *Foris exeo* pro *foras exeo* inter soloecismos a Donato affertur CGL IV 393. Ibidem *foras sto* 394, 15.

autem aegre diudicabis, sitne animo loquentis re vera obversatum: *Veni ad funus et ei adfui, videbo te in publicum prodeuntem atque ibi versantem* an verborum structura plurima consuetudine iam fuerit accepta sine ullo originis sensu.

Sed mirum in modum huic perturbationi exaugendae atque exornandae adfuisse litteram *m* in fine evanescentem, plurimis locis vix quicquam discriminis inter accusativum et ablativum esse relictum nemo negabit, qui Pompeis videbit e. gr. eodem loco esse posita *vino, casiu, allio, oleum, garum, coliclo* (4422, 5246, 4888). Quo igitur nomine peccat, qui dicit *voca cocum in medio*? Utrum in phonetica, cum non eleganter sonos pronuntiando reddat? An parum sibi constat in iungendis vocibus, cum eodem loco per anacoluthon primum quidem *quo*, tum *ubi* quaerat? An multo longius iam progressus est in perturbationis via, ita ut in praepositionum usu atque in declinandis vocibus parum severo iudicio utatur? Non liquet.

Hoc ultimum enim ne ab initio reiciamus aut neglegamus, gravissimis illis testimoniis impedimur, quae audacia errandi omnia, quae adhuc protulimus, longe superant: *quibus prae mala sua corhua nascuntur* 39, 12; *scimus te prae litteras fatuum esse* 46, 1. Hos errores, quos neque quaerendi parum expedita perspicuitas neque litterarum finalium fata ipsa suadere poterant, pro monstris fere ludibrii gratia fictis haberemus, nisi titulis cum aliis tum Pompeianis appareret, si non antea, at certe illis temporibus sane esse iam progressum usum praepositionum ad hanc tantam perturbationem: *cum discentes* 275, *cum sodales* 221, *cum discentes suos* 698²⁴). Talia neminem vel mediocriter doctum potuisse edere putamus.

Ultima haec si neglegimus, quaerendum est, quantum levitatis sibi ipse indulgeat scriptor in hac provincia. In ius veniunt duo loci, quorum alter (*res quae viderentur in controversiam esse* 15, 3) quamvis levis tamen dubitari potuit an librarii potius quam Petronii esset. Sed cum talia Gellius loco saepius laudato

24) Multo levioris notae est IV 2155 a *pulvinar*. Cetera Pompeiana huius generis vix quicquam valent, cum aut *m* omissum faciat soloecismum (*extra porta, intra porta* 2400, *in perpetuo* 3294 similia) aut *m* seu ex urbanitatis affectatione seu ut littera mortua ac mere orthographicae auctoritatis plena addatur ratione eorum puerorum Germanicorum, qui *Bihr* in cerevisia intelligenda aut *mier* = mihi scriblitant, Huius generis est *nec sine dulcissimam Philoth* . . . 3710 et, nisi fallimur, *aurum pro ferrum* 4603.

(N. A. I, 7) ne a Cicerone oratore quidem aliena fuisse iudicet, fortasse praestat componere severitatem frontis scholasticae²⁵). Alter locus est plurima difficultate et rerum et verborum et memoriae textus ipsius intricatus. In initio enim cenae haec exstant: *Gitona libentissime servilem officium tuentem usque hoc iubemus in balneo sequi* (26,10) (*balnea* Jahn, Buecheler⁴, im Bade hinter uns herzugehen Friedländer, *balneum* Heraeus). Cum insuper verba *usque hoc* non satis appareat quo spectent (*huc usque tuentem?* Heraeus putat hac nota pensum scribae finitum esse indicari) neque in eis, quae sequuntur verbis rerum ipsarum ordo excerpenti libidine foedatus apte perspicui possit, praestat hoc exemplo supersedere. *Cornum*²⁶) denique illud Trimalchioneum (39,5) in hac, quae est de litterarum seu potius sonorum vulgarium natura, parte nolo commemorare. In hac enim voce, quae non modo omnibus quartae declinationis et neutri generis periculis opprimitur, sed et singulari quodam loco sola fere constituta vix analogiae deliciis resistere potest, multo commodius alia ratione naturam permutationis interpretabimur.

II.

Scimus cotidianum sermonem plurimo studio sonorum vocis aut assimilandorum aut dissimulandorum teneri, plurimo discrimine vulgaris usus loquendi distat a scripta ratione in eo, quod illic facile plenioribus formis, quae „*lento*“ pronuntiantur, opponuntur abbreviatae, quae cum oratio „*allegro*“ currit, usui sunt. Accentus vi temperantur non modo singulae voces, sed et sententiae totae. Ad illius normam et necessitatem per syncopen eliditur, per anaptyxin additur. Mutatur denique per metathesin. Et in omnibus his rebus eorum sonorum, qui loco in discrimen vocato circumiacent, natura interponit singularem suam vim aut propitiam aut invidiosam. Nostrum est demonstrare, quatenus Petronius in libertinorum suorum sermone exornando fines harum rerum promoverit, quae elegerit, quae intacta reli-

25) Vetustissima ac notissima talia, qualia *in mentem, potestatem, dicionem esse*. De Italiae usu hac in re copioso cf. Roensch, It. und Vulg.² 406 sqq.

26) In indice ed. B.-H. vox affertur inter nomina rustice inflexa, sed additur *quod potest etiam masculinum esse*. Iam supra (not. 20) diximus nos aegre persuaderi, ut Petronium putemus *lautum novendialem* scripsisse. Huius nimis urbani *m* nullum praeterea exemplum.

querit. Atque quoniam de *culcitra* et *credris* iam supra demonstravimus, quid sentiamus, primum quidem syncopae exempla recensebimus.

Caldicerebrius (45,5 et 58,4), ut est accentus ratio atque vis, nihil habet miri. Facillime enim quae proxime ante syllabam accentu prolatam sunt posita, corripuntur, ut his exemplis apparet: *caldarium*, *postridie*, *disciplina*. Vel vocis ipsius plenam formam Augustus ut otiosam a sermone familiari removit (Quint. I, 6, 19), ut erat in epistulis et colloquiis popularis cuiusdam levitatis sectator. *Calda* imprimis in frequentissima commemoratione *caldae aquae* accepta atque probata erat (*calda potio* 41,11 ex verbis Damae, sed in narratione Petroni ipsius eodem fere modo 65,7, 68,3), etsi docetur in appendice Probi *calida*, *non calda* (Baehrens 14). Multo minus facile corripitur *frigidus*. Petronius igitur in proverbio ab Habinna afferendo *nunc hoc est caldum meiere et frigidum potare* (67,10) noluit hic inter *g* et *d* syncopam admittere aut vocem illam ad rationem conformare, quae in titulo Pompeiano saepissime tractato perspicitur *da fridam pusillum* (IV 1291 Baehrens 15). Verba *calegaciendi* et *olefaciendi* multo expeditiora esse ad syncopen quam *patefaciendi* vocem nemo mirabitur qui litteram *l* ut liquidam perpendet nescio quid affinitatis cum vocali habere, quae nulla inest litterae *t*. Non modo Dama igitur habet *calfecit* (41,11), sed et Petronius ipse Encolpi figura personatus (28,1 *calfacti* H *calegacti* L). Proferunt et aliis locis in hac provincia libertini, quae ab urbana familiaritate cum vix sint aliena, haud ita magnum detrimentum dignitati loquentis poterant afferre, veluti *lamna* pro *lamina* (Groeber, Archiv für lat. Lex. III 275, cf. *lame* francogallice, sicuti *femme* pro *femina*, *dame* pro *domina*) exstat 57,4; 58,8. De *oclopetae* parte posteriore plurima est dissensio ac dubitatio (Heraeus Gl. 26 not. III, 46; Baehrens 18). *Offla* est 58,2, a qua scriptor ipse non abhorret 56,9, nam interpretatio apophoretorum est scriptoris ipsius. Parvulum discrimen vides interponi in eo, quod libertinus dicit (44,11) *nunc oculum bublum vidi maiorem*, Petronius ipse commemorat in narratione *bubulae frustum* (35,3). Diminutiva quae aut sunt aut videntur esse, praeter ceteras voces mira quadam necessitate syncopen subisse constat. Ut est incertus fluxus in eisdem verbis et anaptyxeos et syncopae, non miramur haud raro denuo restitui primitivam formam, quae antea fuerat addito sono exaucta.

Non tam syncopa quam litterae finales animum tenent in hoc exemplo: 57,8 *tibi soli ridiclei videmur*. Heraeus (Gl. 10 not. III) colligit tradita exempla huius diphthongi *maleicorium* 47,2; *tonstreinum* 46,7; *ridiclei* 57,8. Quare ultima duo in textum receperit, primum neglexerit, non satis perspicio. Rem ipsam accuratius non interpretatur, nisi quod obloquitur eis, qui adiectivum *ridicleus* hic aut formari aut adhiberi putaverant. Sed res est difficillima. Talia si putamus scriptorem ausum esse, necesse est hyperurbanam quandam elegantiam putemus loco inesse, qua falso pro *i* ponatur *ei*. Similia Pompeiana, ut *vos essetis virei bonei* 2430, hic nil valent, cum sint ad libidinem mere orthographicam revocanda, quae hic in colloquiis libertinorum depingendis atque perscribendis nullo modo intellegi potest. Sed nescio an possint talia ad centonarium, cuius singularem naturam postea demonstrabimus, et ad Trimalchionem haud sine aliqua veri similitudine referri. In illo autem exemplo, a quo initium cepimus, quod est Hermerotis, haereo. Hic enim nulla ratio huius satis miri usus loquendi enucleari potest. Equidem puto formam difficillimam interpretandam esse in modum adiectivorum talium, quales sunt *bonatus*, *absentivus*, *empticius*. Quam sit cenae vulgaritas plena similium exemplorum, infra copiosius demonstrabitur. Origo autem repetenda est non ab *-eus*, sed potius ab *-eius*. Hoc modo enim facillime omnia in *-ulus* exeuntia amplificari poterant. Rem plurimis exemplis confirmat (Gl. 24) Heraeus ipse alio loco, quo *mulierem secutuleiam* (81,5), quae ab Encolpio ipso commemoratur, confert cum *locutuleio*, *Naevoleio*, *Septumuleio*, *Iustuleio*, *Plaguleio*, *Barbuleio*, *leguleio*, *mendiculeia* (C. Gl. III, 323, 34 inter vestes pro eo, quod est graece *ποικίλιον* commemorata, „wohl eine Art cento für Sklaven“ H.). Cf. Stolz, Hist. Gr. I, 2, 474. *Sterteia* denique est Trimalchionis uxorem contumelia insectantis (75,9). Intellegendi igitur sunt, si recte video, *ridiculeii*, et hoc eo magis, quo liberior est in adiectivorum figuris idem libertinus: *homini maiesto et dignitosso, lacticulosus* (trad. *lacticulosus*), *laboriosus*.

Sed ut ad syncopae usum redeamus, exemplum omnium gravissimum est *in alio peduclum vides* (57,7). Hic enim eodem modo, quo 65,11 *super ossucula eius*, Petronius grammaticus docet, quantopere soleat vulgus vocalem ante *-c(ulum)* in *u* mutare (Heraeus Gl. 45 Baehrens 35). Testes glossae et linguae romanae. Nam in his *pidocchio* it. invenitur pro *pediculo*, *ranocchio* ex *rana* derivatur, *manupulus* pro *manipulo* in Pompeiano quo-

dam (2070 *aliu manupulos CCL*) et in titulis cohortis vigilum (VI 3009 *salvis comanupulis*, 3079 *salvis commanuculis suis*). Praeter assimilationem in multis exemplis perspicuam rationem et fructum huius *u* haud paucis locis in eo ponemus, quod colore vocalis mutato compensabatur, quicquid detrimenti in sonis per synco-
pam pronuntiandis ortum erat.

Trimalchio, quod 50,6 *statuncula* in plurali dicit, sequitur aliam quandam rationem in deminutivo formando, quae ultra plebis consuetudinem in familiaritatem scriptorum optimorum irrepsit. Ad analogiam *ratiunculae*, *amasiunculi* et eius rationis, quae inter *avus* — *avunculus* intercedere videbatur, varia orta sunt, ut *mendaciunculum*, *domuncula*. Deminutivum autem non semper genus simplicis servare, sed facile nescio qua analogia detorqueri posse et aliis exemplis docemur. Hoc loco fortasse cogitatio *signi* aliquantum valuit (Stolz, Hist. Gramm. der lat. Spr. I, 2, 586).

Matus (41,12) = vom Weingenuss dämlich, etsi videtur, ut *cette* ad *cedite*, revocandum esse ad *maditus* (formam nullo testimonio confirmatam) atque Itolorum memoria (*matto* = dumm) conservari, tamen origine ipsa incertius, quam ut scriptoris rationem illustrare possit (Cf. Walde, Lat. Etym. Wörterbuch² 470).

Longe aliter diiudicandum est *cardelis* pro *cardueli* (46,4), ut *cardus* pro eo, quod est *carduus*. Cf. it. *cardello*. *U* in hiatu cum alibi tum ante *u* et *o* primo fere p. Chr. n. saeculo debilitatum atque deletum esse docet Pompeianum illud notissimum *cadaver mortus* (3129) vel alterum illud eiusdem loci (Notizie d. sc. 1913, 63) *mortus est Glerus posteru nonas*²⁷). Grandgent § 226. Secundum analogiae vim atque auctoritatem non solum *cocus*, sed et *cocens*. (app. Probi), non modo *batto*, sed et *battis*, *battit* dictum est.

Cetera, quae ad hanc provinciam sermonis spectant, vix

27) Nescio an haec verba sint apud Pompeianos saepe ut alia similia ex cavillandi nescio qua forma intellegenda pro eo fere, quod serio dicitur *Uboni vigula* (858). „Schläfst du, Brutus?“ Bis certe legitur *tu mortus es*, *tu nugas es* (5279, 5282). Mortuus igitur esse dicitur, quem omnes *nugas* i. e. pro nihilo habent (*amicos habet meras nugas* Cic. ad Att. VI 3, 5). Huc spectare videntur et illa de Chio verba *Pyrrhus Chio collegae sal. moleste fero, quod audivi te mortuom. itaque vale* 1852. In eundem hunc Chium invehitur acerbius etiam, qui 1820 scripsit.

digna, quae consilia scriptoris illustrare possint. In anaptyxi nil, quo scriptor ipse a libertinis irrisus distet²⁸⁾.

Omnia haec si perpendimus, invenimus Petronium uberriam illam materiam aut neglexisse aut satis parce in suos usus convertisse, quam cotidianus usus loquendi errorum labendi plenus poterat offerre. In quibus enim lingua labimur, ea saepissime ad assimilandi aut dissimulandi necessitatem aut ad metatheseon rhotacimos seu lambdacimos referenda esse scimus. Quorum pars magna identidem a permultis variis locis repetita atque propagata tandem iusta ac vera civitate recipitur, ut in *chambre, pélerin, fromage*. Ut rem complectamur, Petronius et hic, sicuti in phoneticis illis, quae primo loco recensuimus, pauca appinxit, quae si revocas ad normas scholae, pro vere vulgaribus erroribus haberi possunt, plurimis locis autem affert, quae singula si respiciuntur, a familiari levitate sermonis minime sunt aliena, libertinorum talium, quales finguntur cenae illi adfuisse, vero sermone prorsus indigna. Nihilominus eadem, coniuncta si praeter consuetudinem scriptis litteris in exigui spatii angustias cogebantur, poterant non nihil offensionis habere.

III.

Quae loquimur, ea saepissime tanquam ventis tradimus. Periculum enim est, ne illa multo minus expedite quam scriptae vocis firma constantia aut auribus percipiantur aut mente intellegantur. Natura igitur ac necessitate quicumque loquitur id agit, ut fugiat monosyllaba facile peritura, sectetur quam plenissimas dicendi formas, eodemque modo illud, ut vel praeter sonorum abundantiam quandam sententiam ac vim ipsam verborum exaugeat atque exornet exornatamque auribus audientium inculcet. Sed ut nummorum largiter profusorum pretium non potest non minui, ita et in vocum provincia nimio usu minuitur atque deletur pristina vis compositorum, intensivorum, frequentativorum, desiderativorum, inchoativorum. Composita vices simpli-

28) de Groot, Die Anaptyxe im Lateinischen 1921. Si re vera est Plocami 64,3 *tisicus* pro *ptisico* vel *phthisico*, poteramus hoc supra afferre, cum demonstrarem, quantopere essent graeca elementa sermonis libertinorum ad Romanae linguae normam formata. Molestias pronuntiandi sanat hic non additio (sicuti *pitocco* italice dicitur *ὁ πτωχός*, *Ptronius* qui scripsit Pompeis 4870 e contrario tanquam huius usus auctor est), sed demptio.

h. acc.
 cium verborum subire fatis omnium linguarum apparet, ita ut non miremur illis saepius adhaerere nescio quid vulgare, haec poetas in deliciis habere ut prisco quodam plenoque sapore perfusa. Mille exemplis demonstrari potest simplicibus verbis latinis respondere romanica aut una aut pluribus praepositionibus aucta (*conduire, découvrir* frg.) Huc referas haec ex cena petita: *sed recorrexist costas illius prima vindemia* (43,4), *corrigerere ipsum enim est restituere*. Eodem modo (63,8) *redimus iterum ad officium*, 69,2 *ad-cognosco Cappadocem*, 28,7 *foras exierit*, fortasse *elegare* 43,5, *exopinissare* 62,14. Trimalchio hoc plebeio exaggerationis studio utitur in verbis (71,1) *et servi homines sunt et aequae unum lactem biberunt*, vitiosa enim contaminatione cogitandi miscet aequae ac nos *l. b.* et *unum eundemque lactem nos et illi b.*

Idem cum dicit (64,2) *solebas . . . canturire bella deverbia*, inter *canere* et *canturire* nil discriminis interponit, sicuti cum apud posteros tum in Vulgata haud desunt loci, quibus *parturire* idem est quod *parere*: Prov. 8,35 *Ante colles ego parturiebar*. Desiderativa cum a normis elegantiae semper fuissent nescio quo modo aliena, apud posteros ad vim primitivorum rediisse neque ulla memoria romanica propagata esse constat. Petronius autem primus mutatae sententiae auctor est²⁹⁾.

Acute inchoativorum fata cum interitu futuri Vössler (Neue Denkformen im Vulgärlatein, Festschrift für Ph. A. Becker 177) coniungit ita, ut dicat „Mit dem Abwenden des sprachlichen Blickes vom Leiden und vom zeitlichen Werden hängt es zusammen, . . . dass die Inchoativsuffixe -asco, -esco, -isco ihren spezifischen Sinn so gut wie restlos verlieren und in allen romanischen Sprachen nur noch als rein flexivisches Formans dastehen.“

Nam mirum est, quantae auctoritatis (Grandgent § 34) sint in oratione nepotum frequentativa et inchoativa ad vim simplicium redacta. Dama matus ille cum loquitur (41,10) *dies nil est, dum versas te, nox fit*, non dicere videtur (Friedländer) „kaum ist man einmal hin und her gegangen“, sed potius „kaum hat man sich einmal herumgedreht“. Neque sine causa videtur illud institutum esse, quod Niceros (62,11) loquitur: *saltem nobis ad-*

29). Wölfflin, Die Verba desiderativa, Archiv I 410. Thielmann (Archiv IX 255) cognovit Ecclesiasticum in verbis (48,21) *et doluerunt quasi parturientes mulieres habere dolere* eodem loco quo *ὀδύρειν*, parturire pro *τίχτειν*, ita ut haec ratio inter singula verba intercederet *pario: parturio = parturio: doleo*. Cf. denique Heraeum Gl. 16.

utasses, cum Petronius ipse simplex verbum habeat. Vocum duplicandarum in oratione vulgari usum varium neque ab una parte diiudicandum demonstrant haec exempla:

a) *modo, modo quid fuit?* 37,3; *m., m. me appellavit* 42,3; *m., m. collo suo circumferbat onera* 46,8 (cf. *it. piano piano, ora ora*, Bourciez, *éléments*² 501),

b) in imperativi vi exaugenda: *voca, voca cocum in medio* 49,4,

c) in galli cantu imitando: *et tu cum esses capo, coco, coco* 59,2,

d) alia sunt interrogantis aut exclamantis: *quid, quid?*; *vero, vero; heu, heu; ita, ita.*

Negandi geminatio, quam fuerunt qui ad graeci sermonis auctoritatem revocarent, in eodem numero habenda est, cum sit iam in prisco sermone usitata, in vulgari autem, ut aliis in linguis, nunquam desierit in usu esse (*it. non ho veduto nessuno* et similia alibi apud nepotes, Bourciez² 117): *Neminem nil boni facere oportet* 42,7³⁰); *nec sursum nec deorsum non cresco, nisi dominum tuum in rutae folium non conieci* 58,5; *nemini nihil satis est* 76,3.

Huc referas et Habinnae illud (68,7) *desperatum valde ingeniosus est*. Ratio ex Plauto omniumque gentium familiari oratione nota. Plurimo enim hiatu oris utitur vulgus in laudando vel vituperando, neque miramur *nimum, nimis* saepius nil esse nisi *magnopere*, si quidem vel *valde*, quod Ciceronis tutelam est expertum, ad eundem impetum dicendi redit.

Satis difficulter aptis exemplis illustrari potest, quanto pere apud plebeios Petronii pronominum vis iam sit deminuta, cum de singulis locis, nisi continua narrandi ratio animo observatur, dubitari possit. Videmus hic non modo tolli vim eorum verborum, quae praeter necessitatem nimis saepe audientium animos obtundunt, sed inesse videtur huic usui nescio quae ars narrandi plebi a priscis temporibus adamata, cum saepius pronomina praeter rei ipsius necessitatem posita (Wackernagel, *Vorlesungen über Syntax I*, 108) disserendi delicias ordinisque verborum numeros exornent. Cf. *Scis tu, vide tu, narra tu* (Segebade, *observ. gramm. et crit. in Petronium*, diss. Hal. 1880, 8), *quare nos habemus, ego etiam si causas non ago, ego illi iam tres cardeles occidi*, illud in initio sententiarum astrologi quater edi-

30) *Neminem* neque satis scio sitne obiecti loco positum (= nullam?), neque, illud si concedimus, mihi persuaderi potest verba esse conformata ad normam graeci sermonis. *Personne ne devrait leur faire du bien* (Ernout). In gnomis Petronianis *nemo* semper subiecti logici vicibus fungitur.

tum „tu“ 77,1³¹). *Ille* mirum in modum fines imperii promovit, id quod demonstrat iam sententia modo prolata: *ego illi* (= lui) *iam tres cardeles occidi*, vel 48,8 *cum illi pueri dicerent . . . , respondebat illa* (= elle), pronominum reflexivorum usus indirectus cum libertinis vix minus difficultatis procreet quam nostris discipulis, *ille* usui est (*scripsit ut illi* (= sibi) 38,4, *cum timeret, ne creditores illum* (= se) *conturbare existimarent* 38,16), nisi forte aliter contra normas scholae peccatur (*ille habet, quod sibi debebatur* 43,1). Possessivorum vis non minus imminuta. Inprimis corporis partes adamant hanc exornationem, veluti est in Vulgata, ut ex mille exemplis unum delibemus, I. Cor. 11, 7 *vir non debet velare caput suum* (gr. τὴν κεφαλὴν). Apud Petronium invenies: *collo suo portare, c. s. circumferibat*, sed in narrando et ipse sibi aliquid huius usus indulgere videtur scriptor (*ad suam faciem, suo sinu, de cervice sua*). Ut prior vis pronominis restituatur, confugitur ad illud iam Plauto consuetum: 66,2 *habuimus . . . panem autopyrum de suo sibi*.

In capite 51 exeunte miror fuisse, qui putarent in sententiis coniungendis geminationem introduci: *Postquam negavit, iussit illum Caesar decollari, quia enim, si scitum esset, aurum pro luto haberemus*. Apparet ordine sententiae enim necessitate desiderari, cum enim sit narrantis, quia Caesaris.

Natura et genere mirum est quantum discrepent quae modo recensuimus exempla loquendi ab eis rebus, quas duobus prioribus capitulis conguessimus. Quem in singulis sonis et litteris deprehendimus tam negligentem venandi, ut raro ultra fines consuetudinis vagetur, eundem videmus ex copia atque usu verborum haud sine sagacitate atque plurimo cum fructu exempla collegisse. Semina atque causas horum inter elegantiam et rusticum usum discriminum aestimaveritne ex nescio qua artis grammaticae ratione an sat habuerit singula quaedam hic

31) Quae ex Petronii ipsius oratione in hanc partem afferuntur, veluti apud Ludwigium 38, ea mihi quidem aut nil valere videntur aut multo esse leviora. Quod dicunt scriptorem ipsum uno numerali pro articulo fere uti, potest non nominari 97,6 *lectulum vestimentis implevi uniusque hominis vestigium ad corporis mei mensuram figuravi*. Recte Ernout: *d'une seule personne de ma taille*. Neque in ceteris exemplis quicquam est offensionis: 26,8 *unus servus Agamemnonis* (= unus é servus), 73,6 *unus praecipue servus* (opponitur ceteris cornicinibus), 102,5 *unum navtam stationis perpetuae interdium noctuque iacere in scapha*. In pronominum provincia iure hac ex parte interpretari videtur Segebade (l. l.) *damnavi ego stuporem meum* 41, 5.

illic appingere, quae vulgi propria esse putabat, quis erit qui audeat diiudicare? Semper enim hoc tenendum est omnia illa elementa dictionis plebeiae, quae nunc facile legentium oculis in bibliothecarum thesauris collecta offeruntur, Petronio in scribendo nullo modo praesto fuisse tam prompta aut expedita, ut ipsa possent pruritum satirographi incitare.

IV.

Declinationem ipsam in plebeia dictione Petronii miramur vix ullo modo esse fractam aut deminutam. Et in hac provincia loquendi aperta quaedam elementa orationis plebeiae scriptor plane neglexit. Solent tirones plurimo illo discrimine vehementer commoveri, quod inter latinos casus *mensa, mensae; rex, regis* etc. patet et illos gallicos vel italicos genetivos et dativos, qui voces in exitu nullo modo mutatas cum *de* et *ad* coniungunt. Sed mediocriter rei qui est peritus, scit linguam latinam non aliter processisse atque alias linguas in eo, quod praepositionum usu vel analytica ratione paulatim casus illos scholasticae artis dissolvere conatur. Idem enim, quod locativus est passus, cuius pauca exstant vestigia in grammatica scholae, pauciora his diebus in usu nominum urbium italicarum (*Rimini, Girgenti, Tivoli*; res ipsa et ratio in tabula Peutingeriana perspicua docet hanc formam praeter ceteras in urbibus significandis fuisse usui³²), idem manet et ceterorum casuum maiorem partem. Vides his diebus genetivi quasdam reliquias ossuarii tenebras fugisse (*lunedi* = lunae dies, *loro, leur* = illorum), quarum naturam, doctos si excipis grammaticos, nemo iam perspicit. Praepositionum auctoritas quomodo sub terra tanquam clandestinis operibus in dies magis casuum ordinem evertere conetur, ex antiquissimis temporibus perspicpi potest. Plautina talia, qualia „*dare ad*“, „*nuntiare ad*“,

32) Huc vix referendum est, quod in syntaxi peccatur a Nicerote (62,1) forte *dominus Capuae exierat*. Inter soloeicimos numeratur a Donato (CGL IV 393, 12), *si interrogati, quo pergamus, respondeamus Romae*. Heraeus conf. (Suppl. ed. VI 285) Act. Petr. c. 4 *introivit Romae*. Simile fere illud ex lupanari Pompeiano petatum (2246) *hic ego cum veni futui deinde redei domi*, in quibus verbis illustrandis Diehl (Pomp. Wandinschriften no 614) affert Vulg. Tob. 2, 20 *Unde factum est, ut hoedum caprarum accipiens detulisset domi*. Quae apud Plautum huc pertinere possunt, ea parum ab omnibus partibus certa sunt: Lindsay, syntaxe of Pl. 23. Sed illud hoc ex usu loquendi apparet, quomodo locativi auctoritas in nominibus urbium constituendis tantopere potuerit exaugeri.

„*dimidium de*“ et quae sunt similia apud alios qui postea flo-
ruerunt scriptores notiora sunt, quam ut hic diligentius expo-
nantur. Hoc moneo hanc consuetudinem loquendi a Petronio in
sermone plebeio fingendo neglectam esse. Nam inter omnes eos
locos, quibus *ad* aut *de* invenitur, equidem nullum invenio,
qui via aut ratione illum usum dicendi imitetur, nisi forte vide-
mus vim partitivam *de* praepositionis paulo latius ultra consuetu-
dinem scriptorum patere (singula exempla indicis vix digna,
quae exscribantur)³³⁾. Sed nemo est, quin sciat his ipsis exemplis
plurimum veniae, minimum miri inesse, si quidem „*unus de*
multis“, „*pauci de nostris*“, similia ne a severitate scholae quidem
aliena sunt.

Unum invenio exemplum, in quo genetivo vicaria verba
supponi videntur quodque in hac exiguitate testium haud sine
aliqua gravitate est. Trimalchio enim (52, 1) haec: *In argento plane*
studiosus sum.

Petronium in praepositionum usu plebeio multa intacta
reliquisse persuadeor et eo, quod unum certe gravissimum duobus
exemplis illustrat, quod nescio quomodo idem pertinet ad decli-
nationem analyticis ambagibus dissolvendam et ad ordinem ver-
borum romanice conserendum. Ernout solus, quem saepius dolemus
nil interpretationis addere textui, retinet ut vera haec: 57, 11
in ingenuum nasci tam facile est, quam accede istoc, et 62, 10
in larvam intravi. Apparet sine ulla ratione illo loco *in* deletum
esse, hoc duplici mutatione *ut larva* scriptum esse. Nam, ut est
apud Augustinum de civ. dei 20, 19, *dicimus „sedet in amicum“*,
id est velut amicus. Et hoc spectavit Petronius in Hermerotis et
Nicerotis genere dicendi exornando. Eodem modo dicitur *hanc*
habuit in coniugem (Hygini fab. 10), *Nero ipse pugnavit in gladiato-*
rem (Schol. Iuv. 2, 147). Bourciez, *Éléments*², 248. *Et ero vobis*
in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias (II Cor. 6, 18 Vulg.).

Unde hic usus loquendi sit ortus quaque via sit perventum
ad illa, quae modo attulimus, optime perspicitur duobus exemplis,
quorum alterum est Petronii ipsius vel potius Trimalchionis, alte-
rum Vulgatae. Petr. 47, 10 *quem . . ex eis vultis in cenam fieri?*
Facere et fieri saepissime in parandis cibis de cocis dicuntur
absolute. Exempla apud Heraeum Gl. 35. Hic autem cum adi-

33) In centonarii genere dicendi aestimando infra copiosius de hac re.

ciatur *in cenam*, quem ad finem res fiat disertis verbis additur. Paralip. I, 28, 6 *ipsum enim elegi mihi in filium, et ego ero ei in patrem*. Eundem in modum dicitur apud Petronium ad: 75, 11 *tamen ad delicias ipsimi annos quattuordecim fui*, cuius in loci memoria codice H conservata fuit, qui *ipsimi* interpretaretur *domini*, ad delicias adumbrando redderet *femina*. Praepositionis vinculo interposito (*eligere ad, esse in*) attributum accuratius cum substantivo connectitur, cum elegantia aut nil aut *ut*, si quicquam, admittat.

Rationem Petronii in casuum usu initam illustrat denique locus quidam, cuius memoriam a criticis tentatam bene defendit Löfstedt (Spätlateinische Studien, Skrifter utgifna af K. Humanistiska Vetenskaps-Samfundet i Uppsala XII, 4. (1908) p. 81): 43, 4 *vendidit enim vinum, quantum ipse voluit*. Nam aliis exemplis, quae sunt posterae aetatis, demonstrat in hoc praecipue pronomine (*quanto costa?*) pro genetivo pretii accusativum generis neutri esse positum. Sed nolo nimium huic exemplo tribuere: „Der Gebrauch des Akkusat. Neutr. der Pronomina, Pronominalia etc. statt anderer Kasus oder Konstruktionen war ja zu jeder Zeit sehr frei und wird wohl in der Alltags- und Vulgärsprache wegen der Bequemlichkeit solcher Ausdrücke besonders beliebt gewesen sein“, ut Löfstedtii ipsius verba afferam.

Vix ullo modo scriptor indicat, quantum periculi imminet declinationi quartae a similitudine secundae, quintae a prima³⁴). Nam si quidem Pompeis fuit, qui in pervagando atrio passus numerans haec memoriae proderet (1714) *itu reditu X passi DCXL*, vix potest dubitari, quin hac in re cotidianus sermo saepius sit delapsus posterorumque rationem *il passo — i passi* praeformaverit.

Idem fere valet in provincia verbi, quae mirum est quam paucis locis sit tentata. Nam desunt omnia fere, quae poterant

34) Quod Trimalchio (39, 5) in voce a ceteris peculiari quadam forma segregata labitur: *habet . . . cornum acutum*, lenitur auctoritate et testimoniis multorum scriptorum. Cf. Neue I³ 529, Kühner-Holzweissig 391, Sommer, Handbuch der lat. Laut- und Formenlehre² 392. Quod exstat 76, 5 *non mehercules mi haec iactura gusti fuit*, vix quicquam plebei habet (Heraeus Gl. 42), cum ab hoc gusto, quod est neutri generis in secunda, ut alios testes praetereamus, ne Plinius quidem aut Seneca abhorreant. Cum usu vocis ipsius (Kostprobe, Kleinigkeit) H. apte confert *non flocci, non hili*, romanicas denique negandi ambages tales, quales *nagutta, nemica* (rum.), *ne . . . mie* (frg.).

hic exspectari. Donatus in illo de soloecismis capitulo (CGL IV 394, 5) indicativum modum pro imperativo positum vituperat in verbis

itis, paratis arma quam primum viri.

Sic Pompeis (4123 b) ad caput hominis, qui ut abeat a servo amicitur, ascribitur *Valetis = Valete*. Sic monetur, ut iterum Pompeianos adeamus, in taberna (3494): *itis, foras rixsatis*. Apparet his verbis inesse rationem quandam graviter per indicativi usum imperantis, quam eandem videmus apud Gallos huius aetatis retineri (*fermez, aimez*). Qui de bello Hispaniensi commentarios composuit, gerundio pro participio fere utitur (36,2 *ita erumpendo naves incendunt*), a qua ratione loquendi et alibi ante Petronium vel scriptorum auctoritate confirmata (notissimum illud apud Ciceronem Caelianum *bellum ambulando confecerunt*) atque in usum romanicarum linguarum traducta videmus saepius neque Italos huius aetatis neque sanctam sedem Romanam in latine scribendo abhorrere³⁵). Haec et innumerabilia alia frustra in libertinorum sermone quaeres.

Sed videamus, quibus locis ordo et disciplina verbi, ut ita loquamur, a libertinis Petronianis perturbetur. Atque hic quidem nil tribuendum est illi abundantiae, qua *coepi* infinitivo adiungitur ita, ut vix ullo modo a simplici perfecto sit alienum (Segebade, observ. diss. Hal. 1880, 11. Löfstedt, Komm. zur Peregrinatio 209). Nam hac in re Petronius ipse mirum est quam sit multus. Nullo loco videmus perfecto substitui *habere* cum participio. Nam nescio, quare Friedländer in interpretandis verbis 57,5 *constitutum habui nunquam* (ich habe nie einen Termin vor Gericht gehabt) illius usus, qui ab his verbis plane alienus est, mentionem faciat. Unicum invenio, quod merito hic afferri possit. Nam, si recte video, haud ita forte factum est, quod in oratione centonarii tribus locis in tempore futuro significando ad periphrasin confugitur: 45,4 *et ecce habituri sumus munus eccellente in triduo die festa*, minus fortasse aperte eadem ratio perspicitur ceteris duobus locis eiusdem sermonis: 6 *ferrum optimum*

35) Veluti Benedictus XV die 18 mens. Oct. 1914 ad archiepiscopum Coloniensium scribit: *Gratum equidem a te nuntium accepimus . . . Germanorum imperatorem tuis annuendo precibus statuisse, ut ex militibus Gallicis nunc in Germania degentibus captivis, quotquot sunt Dei ministri haud aliter quam praefecti militum tractentur.*

daturus est, et 10 sed subolfacio, quia nobis epulum daturus est Mammea. Scimus enim in vulgari usu dicendi illam severitatem normarum, quam de futuri usu discipuli in scholis iubentur ex auctoritate classicorum scriptorum haurire, ab initiis nullo modo infuisse (Schmalz Syntax⁴, 484, Löfstedt pergrinatio 108). Immo in modum germanicae orationis cotidianae, cuius neglegentia hic vituperari solet, saepissime praesens illius munere fungitur. Tribus locis Petronianis (cf. Heraei suppl. adnot. in ed. VI, 283) hoc factum esse videtur: 27,4 *hic est, apud quem cubitum ponitis*; 33,1 *permittitis tamen (= Sie erlauben) finire lusum*; 47,3 *spero tamen, iam veterem pudorem sibi imponit*. Omnibus his locis fuerunt, qui in praesentis usu offenderent, etsi *permittitis* certe, quod est fere pro imperativo et, cui *iam* vocula additur, *imponit* vix aegre accipiuntur. Sed et aliis locis apparet, quam alieni sint libertini a futuro, quantopere eo perducantur, ut aut rem iam factam esse fingant aut praesenti aut denique futuro exacto utantur. Affero ex Trimalchionis usu (71,5) exemplum percommodum cotidiani sermonis: *Quid dicis, inquit, amice carissime? Aedificas monumentum meum, quemadmodum te iussi?* Affero ex minis atque diris Hermerotis: 58,4 *recte, videbo te in publicum . . . nec sursum nec deorsum non cresco, nisi dominum tuum in rutae folium non conieci, nec tibi parsero . . . ita lucrum faciam . . . nisi te . . . fuero persecutus*. „Wie der Prophet im eigenen Lande, so wird in der Volkssprache der Zukunftsbegriff zumeist vernachlässigt oder irgendwie misshandelt und getrübt. Denn immer steht der gemeine Mann den kommenden Dingen eher wollend, wünschend, hoffend und fürchtend als rein beschaulich, erkennend oder gar wissend gegenüber“ Vossler l. l. 179.

Vel Caesar in bello civili 3,94,5 in oratione referenda — hoc enim dignum est, quod attendatur — haec affert: *tuemini castra, ego reliquas portas circumeo et castrorum praesidia confirmo*. Accessit autem ad neglegentiam illam a nulla fere lingua plane alienam singularis quaedam iniquitas, qua futuri temporis forma in oratione latina Petronii certe temporibus opprimebatur, quibus quin *b* inter vocales aut ultimae syllabae vocalis pristinam gravitatem amiserint nullo modo dubitari potest. Inter perfectum et futurum saepius vix multum putabimus discriminis intercessisse in prima et secunda, inter praesens et futurum saepius vix plus in tertia. Eo facilius singularis vis variarum periphraseon (*velle, posse, habere, -urus sum*) in dies magis imminuta atque ad futu-

rum tempus significandum detorta est. In Symbolo Athanasiano (saec. IV) varias formas nullo interposito discrimine vides coniungi atque variari: *Ad Christi adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum.* Sed in exemplis priorum temporum saepissime misere haeremus, cum quaerimus, quantum pristini vigoris aut retineat aut abiecerit periphrasis et futuri et perfecti, ut fit in Terentiano illo (Hec. 582) *quomodo me habueris praepositam amoribus.*

V.

Multa ex illis rebus, quibus vulgare genus dicendi a normis elegantiae recedit, ad legem illam quam dicunt analogiae referri possunt. Aegre retinetur legibus scholae, quicquid aut solum aut una cum paucis eiusdem flaturae exemplis singulare quid habet, cuius ratio vix intellegi potest, immo similitudine et affinitate alterius typi allicitur et opprimitur. Etiam in hac provincia orationis miramur scriptorem ex ingenti multitudine exemplorum pauca delibasse, multo plura intacta reliquisse. Quae in tertia in *-io* desinunt verba, ea omnia fere — *sapio, sapere* maluit *habendi* auctoritatem sequi — redeunt tandem in quartam (*capito* it., *ravi, mourir* fr.) neque uilis temporibus videntur se potuisse defendere a periculis huius affinitatis vel potius ab hoc postliminio, ut iuris consultorum more loquamur. Leviter igitur peccavit Pompeis poeta ille (1227): *multo magis ire cupimus.* Gravius est, quod alter quidam eodem loco (1824) de Venere cecinit *quit ego non possim caput i[l]lae frangere fuste?* Hac pronominis forma analogia primae declinationis depravata fundamento tanquam utitur Italarum *lei*. Habes pro multis duo exempla earum rerum, quas Petronius non significavit. Eo plus tenent nos ea, quae illius censuram non fugerunt. Monuit autem primum quidem feminina in quarta aegre genus tueri posse, cum Trimalchionem faceret haec verba coniungentem (77, 4) *porticus marmoratos* (marmoratis H) *duos.* De *acus* genere iam inter grammaticos non satis constabat (Neue Formenlehre I³ 1008); *nurus* et *socrus* natura ac necessitate primam amplectebantur; titulis et Probi appendice confirmantur *socera, socra, nura*, Baehrens, app. Pr. 106, *la suocera* et *la nuora* (it.; vocis posterioris vocalis cum praeter opinionem ex brevi *o* fluat, expectationem fallit videturque auctoritate *socrae* mutata

esse); *porticus*, cuius genus et alibi titubatur (Heraeus in supplementis editionis sextae 28, 6), tandem illum cursum tenet, quem Trimalchio demonstrat (*il portico* it.); *acus* et *domus* plurimis locis (*ago, il duomo* it.) masculinum genus sequuntur, *manus* autem, paucos locos si excipimus, pristino generi adhaeret (*la mano, la main*).

Sed multo gravius est, quod Petronius apertissimis atque exaggeratis fere exemplis significat, quantis periculis opprimatur in cotidiano sermone neutrum genus. Nam singula quaedam etsi possunt auctoritate aliorum scriptorum excusari, multitudo exemplorum Petronianorum non est quomodo non ad rationem consiliumque irrisoris referatur. *Caelus*, quod et alii hic illic accipiunt (Neue I³ 624), bis Trimalchioni ipsi obrepat, semel Echioni (39, 5 et 6; 45, 3). Masculi *candelabri* (Neue ibidem 792) auctores Caecilius et Trimalchio (75, 10 *quam hic candelabrus est*). *Fatus*, quod a titulis sepulcralibus haud ita alienum (Heraeus Gl. 42), in deliciis fere habet Trimalchio (71, 1; 77, 2), tuetur et Seleucus (42, 5). *Vinus* Damae mati illius est (41, 12), quo cum Italiae codicibus coniungitur (Neue II. 807), eiusdem et *balneus*, quod item multo posterioribus demum temporibus redit (Neue II. 791). Accedunt ad numerum exemplorum explendum *lorus* (57, 8; Heraeus Gl. 42), *fericulum* (39, 4), *lasani* in plurali (47, 5), *amphitheatrum* (45, 6; Heraeus Gl. 43; ampliteatur cod.). Horum errorum vis augetur ab altera parte ita, ut praeter iustam normam fiat usus huius generis. Apud centonarium (46, 7 et 8) *thesaurum* invenitur et *libra* in plurali, multo minus valet *fecerunt catilla* (50, 6), quia de *catino* vel *catillo* et alibi parum constans ratio (Neue 793, Heraeus Gl. 42), vix plus *habebat nervia praecisa* apud centonarium (45, 10; Heraeus Gl. 43 affert praeter alia Varronis testimonium sat. 368 B) aut *cetera quisquilia omnia* (75, 8). De genere neutro intereunte multi copiose egerunt. Scimus ab initiis fere litterarum Romanarum multa huius generis substantiva incerto fluxu agitari. Iam apud Plautum invenimus non solum in secunda, ubi propter nimiam similitudinem plurima labendi erat copia, sed et in tertia masculinum genus augeri iacturis neutri generis. Videmus et apud eundem a parte contraria *nasum* et *caseum* in opposita castra emigrare. Apud Pompeianos exstat *balneus* (3878), *cadaver mortuus* (3129), exstant denique poetae exspectatione misere deiecti versus (1516)

*hic ego nunc futue formosa forma puella
laudata a multis, set lutus intus erat,*

qui masculi *luti* usu cum Claudio Quadrigario (fr. 94 P) cohaerent, viro, ut Gellii iudicio utar (XIII 29. 2), prope cotidiani sermonis.

Sed res ultra haec exempla multo latius mihi quidem patere videtur, et haec provincia artis grammaticae a Petronio praeter alias electa est, in qua colenda singulari curiositate versaretur. Iam supra defendimus Trimalchioneum illud *faciatur triclinia* ab opinionibus eorum, quorum interpretatio praeter necessitatem et veri similitudinem ad auctoritatem Graecae syntaxeos confugit. Nos quidem intellegimus singularem ex collective intellecto numero plurali deductum. Eadem fere ratio intercedere videtur inter *epulum, epula, epulae; horreum, horrea, horreae; balneum, balnea, balneae; armentum, armentae; delictum, delicta, delicta* (Neue I³ 823 sq.), in quibus formis singulis utrum genus utri aetate aut auctoritate antecedit, hic non quaerendum est. *Margaritum* (apud Trimalchionem 63, 3) vitiose ab eo qui putabatur esse plurali deductum plurium testium auctoritas tuebatur, quam ut damnari posset. Grammatici igitur more suo discrimine significandi inter utrumque constituto rem sanare conantur. Apud Petronium autem inprimis ea exempla animum tenent, quibus pro *hilaritate* quae ab Encolpio ipso commemoratur decem locis, adiectivum plurale neutri generis ponitur. Attendas velim, quomodo narrandi flumen *a frustulis vulgaribus* hic, ut alibi, segregetur: 60, 5 *hilaritatem refecit* (n.), 61, 4 *hilaria mera sint* (v.), 64, 13 *interdiu severa, nunc hilaria* (v.), 65, 8 *delectatus hac Trimalchio hilaritate* (n.), 74, 8 *hilaritas nostra turbata est* (n.). Vides iam viam patere ad *fortia, forza, force*, vel ad illud quod re ipsa proxime accedit *anxia, ansia*, quod iam in Orestis tragoedia exstat 558:

Pectora cor sensus animum praecordia mentem

Conturbat pietas dolor anxia maeror origo.

Per *gaudia* poetarum constanti fere usu pluralia (*gioia, joie*), *mirabilia* (*meraviglia, merveille*) deducimur ad Petronianum quoddam, a quo probando criticos adhuc abhorruisse video, *quid nunc stupes tanquam hircus in ervilia* (57, 11). Cadunt enim omnia³⁶, quae aut coniectandi audacia (*in ervili, inter ovilia*) aut interpretandi difficultate (quasi *stupere in aliquam rem sit intellegendum*) prolata sunt, ubi textui inesse nil praeter loci significa-

36) Cf. Keller, Wiener Studien XXXI (1909) 175, Radermacher, ibidem XXXII (1910) 204, Heraeus, suppl. ed. VI, p. 285.

tionem vis. Hoc sensisse videntur tacita quadam cogitatione, qui verterunt in Erbsenfeld (Gurlitt), dans un champ de pois chiches (Ernout). Accedit, quod apud eundem Hermerotem alterum exemplum exstat: 58,2 *crucis offla, corvorum cibaria*, quod etsi potuit forte quadam ex Italiae usu probari, ipsum tamen vix minus est mirum. Cf. *victualia — la vettovaglia*.

Ex analogia repetendum esse censeo illud, quod Trimalchio in uxore opprobriis atque calumniis obruenda *milva* dicit 75,6, cum alibi semper sit utriusque sexus communis *milvus*. Facile enim perspicitur in nominibus convicii causa additis communem copiam verborum a plebe singulari sexui esse accomodatam. Exstat alterum huius rationis testimonium luculentissimum, *beluus*, a quo, si quidem Augustino (CGL V 520, 28 *beluus, ut Cicero dicit*) fidem adhibemus, ne Ciceronis quidem maledicentia abhorrebat. Parum accurate perspicio, quid Martin spectet, cum in oratione vulgari, urbana, ecclesiastica paucis lineis adumbranda (Volkslatein, Schriftlatein, Kirchenlatein, Hist. Jahrbuch der Görresgesellschaft 1921, 203) haec verba facit de Cicerone nonnunquam vulgaris orationis studioso: wenn er seinen Gegner als *ἀγράμματος ἄνθρωπος* kennzeichnet, indem er ihm belvus statt belva, litteras studere u. dgl. in den Mund legt. In oratione post reditum in senatu habita 6,14 video utrumque in optimis codicibus esse: *Cum vero etiam litteras studere incipit et beluus immanis cum Graeculis philosophari, tum est Epicureus*, neque autem video, quomodo haec e sententia consulis convicii petiti dicta esse possint.

Vix minus acriter quam in terminis inter genera substantivorum aut tuendis aut denuo disponendis pugnatum est in conservando et recte statuendo numero deponentium. Nam et horum salus in summum discrimen iam dudum perducta erat. Quantum sudoris et operae hic in scholis sit consumptum a magistris in normis recte loquendi inculcandis, ille fortasse animo finget, qui poetarum fragmenta a grammaticis tradita perlustraverit. Nam et hic studiis frustra ac sine perenni fructu per multa saecula productis defendebantur, quae necessitate quadam naturae erant peritura periculis analogiae. Abiturum enim erat ordine naturae *precor*, quod ab omni ratione alienum esse videbatur, in *preco* in toto imperio Romano, cum neutrum genus interiens pauca prioris floris vestigia non posset non relinquere. Iam qui nomen huic classi verborum imposuerunt et invenerunt, demonstrave-

runt se rem pro vano fere ludibrio habere, cum verba dicerent nescio quid, quod exspectandum erat, deponere, aut vim passivam aut formam activam. Non miramur igitur plebem in modum nostrorum discipulorum abiecisse, quae non poterant intellegi, cum alibi tum in eis verbis, quibus nulla aut medii aut passivi vis inesse videbatur. Sed et hic recta via saepius derelicta est in eo, quod aut propter incertum fluxum rei aut singularibus de causis nova deponentia fingeantur. Hic non minus quam alibi eadem et vetusta et vulgaria esse invenies. *Exhortavit* (76,10; *exoravit*, quod est in textu, in margine codicis corrigitur) haud sine auctoritate aliorum testium est (Neue III³ 47), *argutandi* (46,1; 57,8) usus et alibi inconstans (Neue III³ 25, Heraeus Gl. 39), consuetior etiam activa forma *amplexandi* (63,8; Neue 77, Heraeus Gl. 39), rarior *convivandi* (57,2; Heraeus Gl. 39), in *naufragando* (76,4; Neue 68, Roensch 167), ut est testium natura parum expedita, videtur esse maior passivi dignitas.

Omnium exemplorum gravissimum est 46,1 *tu qui potes loquere, non loquis* (loqui cod.), si quidem recte sic restituitur, nam *loquor* etsi nonnunquam passivè dicitur a posterioribus (Neue 52; Roensch, Itala und Vulgata² 388), *loquo* non video aliis locis confirmari. Apud Pompeianos *tutat* (4456) exstat, quod sane a priscis posterisque non magis alienum est quam *rix-satis* (3494i).

Ab altera parte quae deponentia pro activis praeter consuetudinem introducuntur si quaerimus, aliquam rationem, si recte video, non possumus non deprehendere. *Non est quod illum pudeatur* (47,4) proxime accedit ad illa deponentia, quae apud ecclesiasticos scriptores et in Itala vel Vulgata usui erant, ut *paenitemini, taedebatur* (Roensch 302), *gaudeor* (Löfstedt peregr. 215), *doleor* in glossis et titulis saepius (Neue 38, Heraeus Gl. 39), *pudutum, (per)taesum, pigutum est* multo etiam crebrius inveniuntur (Neue 650 sqq.). Omnia haec verba dicuntur in eis, quorum animi nescio quo affectu commoventur. Eodem spectat Trimalchionis 48,4 *ne me putes studia fastiditum*. Hic enim vel plebi medii vis non potuit non sollemnis et consueta esse (sich genieren, ärgern³⁷). Auxit perturbationem illud, quod, cum *miseret me* et *misereror* in eadem re significanda in promptu essent, uno certe

37) Percommode ad horum errorum naturam et rationem intellegendam afferri potest barbarus ille, qui in Aristophanis Pace 289 in *gaudendi* verbo

in exemplo subiecta et rei et personae promiscue verbis et ipsis in genere mobilibus addi poterant.

Eiusdem ordinis est 57,3 *qui rideatur alios* (risu affici, se rire de q., sich amüsieren). Plurimum difficultatis habet locus 61,4 *satius est rideri quam derideri*. Ernout, in ceteris cautissimus ille memoriae scriptoris iudex, cum Antonio *deridere* scribit, *il vaut mieux faire rire de soi que de rire des autres*. Passive utroque loco Friedländer, „belacht — ausgelacht“. Equidem malo vertere „belacht — gefoppt, betrogen“, nam saepissime apud Petronium *deridere* est *decipere, fallere* omni ridendi vi deleta (apud eundem 62, 11; *ergo me derisit* 100, 3; *non me deridebis* 68, 6; 16, 3; 106, 1). Sed satis incommode illud accidit, quod memoria illius loci, a quo acumen Nicerotis pendet, parum sana (*timeo istos scolasticos, ne me derideant* H, ubi *rideant* in omnibus editionibus corrigitur).

Duobus locis non est quo modo non *delectari* dicamus idem sibi velle quod alibi activum: 45,7 *dispensatorem Glyconis, qui deprehensus est, cum dominam suam delectaretur*; 64,2 *nihil nos delectaris?* Sunt haec exempla ab omni ratione et analogia adeo aliena, ut non possint non plurimum offensionis habere, etsi similia in glossis et apud Eccli 26,16 (hic in codicis A. memoria) exstat: *gratia mulieris sedulae delectabitur virum suum*. Ratio rei apparebit ex centonarii genere dicendi singulari, cuius nimia urbanitas pluribus exemplis perspicua et ad Trimalchionea quaedam interpretanda adhibenda est.

Somnari denique (74, 13 *sed hic, qui in pergula natus est, aedes non somniatur*) nescio an possit conferri cum *optor*, quod Heraeus glossis confirmat (Gl. 39).

Quarto loco inserimus huic de analogia capiti Trimalchionis illud 39,6 *qui utrosque parietes linunt*. Non miramur singularem in duabus rebus significandis aliquid offensionis habuisse.

Pauperorum verba derides (46, 1) habet plurimam copiam testimoniorum a Plauti temporibus usque ad *viduam pauperam* evangelii vel in Vulgatam (Marc. 12, 43) introductam. In hominibus enim significandis quae potissimum usui erant voces (Baehrens, app. Probi 108) in secunda et prima facilius et commodius masculinum a feminino seiunxerunt (*povero, allegro* = alacer, medium genus amplectitur synonymis duobus commendatum illud (Wackernagel, Vorlesungen über Syntax I 123).

νῦν τοῦτ' ἐκεῖν' ἤκει τὸ Δάτιδος μέλος,
 ὃ δεφόμενος ποτ' ἤθε τῆς μεσημβρίας,
 „ὡς ἤδομαι καὶ χαίρομαι κενφραίνομαι“.

agro = acer apud Italos). Eadem de causa *strabonus*, non *strabo* (68, 8). *Striga*, non *strix* (63, 4 et 8; la strega it.) plebi erat adamata, etsi grammatici saepius notam censoriam inurebant novatae huic formae (Heraeus Gl. 41). Aliis exemplis apparet, quomodo ad analogiam consuetudinis commutentur, quae singulari quadam forma nescio quid offensionis habent: *bovis*, non *bos* (62, 13), in *lactis* nomine vetusta forma multo minus a consuetudine declinandi recedens nunquam poterat removeri illa abbreviata, quae scholae palmam obtinebat: *lacte gallinaceum* (38, 1; forma creberrima, Neue I³ 239 sqq. It. latte). Petronius primum temporis ordinem tenet in altera forma testanda (71, 1 *unum lactem biberunt*), quae postea saepius invenitur (Neue II. 826). Neutrum in masculinum vel femininum commutatum commendabat pluralis *lactes* antiquissimis consuetus pro partibus corporis in intestinis pinguius litteraeque m finalis parum constans vis. Sed nominativi singularis nulla certa auctoritas. Eundem in modum *vasum*, non *vas* ab antiquissima scriptorum memoria usque ad posteros (*vaso* it.), non modo propter facilitatem flectendi, sed et ad auctoritatem pluralis *vasa*, *vasorum*, *vasis* (51, 4 *vasum aëneum*). Sed masculinae formae *vasus* Petronius unicus auctor certus (57, 8 *vasus fictilis*). *Jovis* et *sanguen* contra normam elegantiae a plebe conservata sunt, illud 47, 4 et 58, 2, hoc, quod ab Ennii patris versibus gravitatis plenis (Ann. 117)

*o pater, o genitor, o sanguen dis oriundum,
tu produxisti nos intra luminis oras*

per multorum scriptorum testimonia manet usque ad Italicorum *sangue*, 59, 1. De vetustate huius formae nulla dubitatio, etsi, quae ratio etymologica intercedat inter *sanguen* et sanguinem, non satis patet (Lindsay-Nohl 432, Meyer-Lüpke Einführung³ 185). Mirum est vulgarem orationem in aliis exemplis flectendi rationem *-is -inis* minime fugisse, immo exornasse (cf. genetivos *faminis*, *incudinis*, *verminis*, *glandinis*, *lendinis* glossarum, titulorum, romanicarum linguarum vestigiis confirmatos, Baehrens app. Pr. 113).

Facilius intellegitur, quare *clades*, *sedes*, *vulpes* maluerint ut *civis*, *navis* in *is* desinere apud plebem. Rei in appendice Probi copiosius et in multis exemplis vituperatae testis et Petronius 58, 11 *volpis uda*. *Munus eccellente* (45, 4) et *excellente Hispanum* (66, 3) multo maioris audaciae sunt. Sed ratio rei haud obscura: immobilia in genere variantur ita, ut unam eandemque

syllabam teneat accentus vis exaequeturque, quicquid inter rectum et obliquos perincommode intercedit discriminis. Sed, quod offertur 43, 5, *ille stips* obstat, ne omnia ad eandem rationem interpretandi revocemus. Nam perobscurum, ut alibi, ita in nominibus huius ordinis, quibus legibus syncopa aut urbana aut rustica orationem temperet. Irridetur et vituperatur in hac voce, quod in illa ratae elegantiae nomine recipitur (Sommer, Handbuch der lat. Laut- und Formenlehre² 369). Sic fit, ut in quibusdam rusticus sermo urbanitatem usu syncopae superet, in quibusdam plenior formam aut conservet aut restituat aut analogiae vel anaptyxeos studio commotus de suo fingat.

Illo a Buechelero optime restituto (44, 17) *a diibus* (cod. *aedilibus*) deducimur ad discernendi sexus studia, quae non modo *asinabus*, *equabus*, *libertabus*, *famulabus*, similia, sed et *amicibus*, *filibus*, *patronibus*, *natibus*, similia procreasse ex grammaticorum ratione titulorumque usu accipimus.

Ad analogiae auctoritatem fortasse revocandum est apertum illud discrimen, quod in genere aut masculino aut feminino *diei* intercedit inter libertinorum consuetudinem et ceterorum locorum rationem (Löfstedt, peregr. 193). In urbana enim oratione invenitur masculinum XXII locis, uno femininum (*una die durare* 102), in rustico genere dicendi libertinorum ter femininum (*aliqua die* 46, *die festa* 45, *de una die duas facere*³⁸) 72), quinque masculinum (*supremum diem obiit* 61, *mi restare vitae...* *dies duos* 77, *post paucos dies* 63, *intra hos dies* 38, *uno die* 76, e quibus locis ultimus unicus relinquitur, si pluralem excipimus et primum propter sollemnem verborum iuncturam neglegimus). Libertinorum usus accedit igitur ad posteriorum et ecclesiae consuetudinem (*et resurrexit tertia die*). Sed nolumus hanc de genere *diei* quaestionem saepissime tractatam recoquere aut quaerere, quantum apud plebem sittribuendum auctoritati aut quintae declinationis aut aliarum vocum (*hora*, *tempestat*, *nox*). Petronii autem ratio commendare videtur Heraei sententiam (Gl. 19) re ipsa glossisque probatam, qui *diem* intellegit in Trimalchionis verbis 73, 6 *hodie servus meus barbatoriam fecit*. *du Bar. 1811*

Faciatur autem (71, 10), etsi est inter durissima huius capituli exempla numerandum, tamen non est sine auctoritate Titinii

38) Cf., si parva licet componere magnis, Eccli 46, 5 *Una dies facta est quasi duo*.

(*parvi ut faciat* 97) et Varronis (in sat. Men. 82 *satisfacitur*). Similiter apud ecclesiasticos scriptores et Bibliorum sacrorum interpretes non modo, sed et apud priscos quosdam (Neue III³ 628, 110; Roensch It. und Vulg.² 302) *fiere* in infinitivo propter ceteras formas, *fieretur*, *fiabantur*, *fitur* propter vim et sententiam.

Trimalchionis animo, cum (69, 2) in servo quodam laudat *nil sibi defraudit*, idem fere, quod *nil sibi detrahit* = er lässt sich nichts abgehen obversari videtur. Forma autem quamvis aliena a consuetudine tamen non temere a Petronio ficta est (*fraus* est apud Plautum, *defraudit* in glossis; Neue III³ 120, Heraeus Gl. 39). Multo levius peccat idem (50, 7), cum rustice flectit *non olunt* (*volunt* cod.), vel ille, qui *nec tibi parseo*, nam et hoc (Neue II 367) et illud (ibidem 270) habet plurimos auctores. *Erudibam* siquidem recte restitutum est 68, 6, sequitur consuetudinem vetustam eandemque vulgarem. Gravissimum autem est illud apud centonarium *vinciturum*, de quo postea.

VI.

Deminutivorum usum in oratione vulgari omnium fere temporum et gentium longe ultra significationem parvularum rerum promotum esse inter omnes constat. Mira quadam familiaritate amplectitur sermo vulgi omnia fere, quae in natura rerum posita sunt, nunquam non interponit privata sua studia mentioni earum rerum, quibus utitur, quibus fruitur. Totus orbis terrarum, tota vita aut publica aut privata, omnes provinciae animi et corporis, omnia, quae ad Cererem, Liberum, Venerem spectant, referta sunt nominibus lepidae humanitatis et remissae benignitatis plenis. Die liebe Sonne! Das liebe Öhrchen! Das liebe Mädchen! Ein gutes Weinchen! Ex usu fabrorum instrumenta domestica cotidiana consuetudine familiaria deminutivis notantium ingens multitudo talium substantivorum in scripta technicorum fluxit (Löfstedt, peregr. 311).

Omnia haec facillime exemplis Petronianis confirmari possunt. Nihilominus miror, quam parce et caute his coloribus generis dicendi usus sit scriptor, cum nunquam fere sit appictum ullum deminutivum omni peculiari vi destitutum. Vix autem est, quomodo negemus nimium abusum deminutivorum illis temporibus orationem plebis iam tantopere inquinasse, ut nil iam discriminis in multis certe exemplis inter simplex et deminutivum relinqueretur.

Amasiunculus et *amasiuncula* facillime intelleguntur. In cibis denominandis ne urbana quidem oratio ab hoc usu aliena est (Heraeus, Rhein. Mus. LXXII, 45). Invenies apud Petronium ipsum *steriliculam* et *offlam collarem*, quarum illa est sterilis vulva suis, haec germanice Halsstückchen. In Catonis de agri cultura libro exeunte de ofellis Puteolanis (Schnitzel à la Puteoli) sermo est. Vix quicquam offensionis igitur subiit in genere dicendi lapidarius, cum narraret (66, 2) se inter ceteras delicias *sangunculum* (saucunculum H) in cena habuisse. Loco bene succurrit Heraeus actis fratrum arvalium usus, ubi eadem voce idem sanguis suillus coagulatus seu concretus significatur (*de sangunculo porciliarum vesciti sunt*).

Lichtenberg, cum dicit: „Es ist sonderbar, dass diejenigen Leute, die das Geld am liebsten haben und am besten zu Rate halten, gerne im Deminutivo davon sprechen: „Da kann ich doch meine 600 Thälerchen dabei verdienen“ — „ein hübsches Sümchen“, Petronii libertinos fere tangere videtur, qui nunquam non suas *casulas*, *glebulas*, *lamellulas* commemorant.

Non minus perspicua ratio aliorum exemplorum: *homuncio* (das arme Menschenkind), *sponsiuncula* (ein kleines Spielchen, Wettchen), *corcillum est, quod homines facit* (das Oberstübchen), *super ossucula eius* (des armen Toten), *cepi ipsim cerebellum* (quod esse videtur: Ich steckte das Köpfchen meines Herrn in die Tasche). Contemptim dicitur 58, 5 *comula ista besalis*. In astrologia Trimalchionis *arietilli* quid sint, parum constat (39, 5). Sed hac in re *taurum* commemorat Encolpius (35, 3), *taurulum* Trimalchio ipse 39, 6. Hoc repeto ex usu quodam loquendi apud Romanos in signis caelestibus vere populari, qui (Gundel, PWA 317) exemplis *caniculae*, *sucularum* apparet. Ut instrumenta domestica, ita et animalia plurima consuetudine familiaria facile deminuendi nota significantur, *sucula*, *anserculus*, *asellus*, *porcula*, *porcella*, *agnellus*, *catellus*, *vitellus*.

Sed unum certe locum invenio, in quo nulla deminutivi ratio perspicui potest, 63, 5 *hominem Cappadocem, longum, valde audaculum et qui valebat*. Equidem puto — nam unicum hoc exemplum dignum esse videtur, quod illustretur — scriptorem vulgaritatis studiosum hic recessisse a simplici, quia in hominibus significandis (*pauper*, *tristis*, *alacer*, *strabo*) desiderantur aperta sexuum discrimina. Deminutivi forma igitur nil aliud spectat quam in aliis illis exemplis supra tractatis declinationis permutatio.

Cum hoc libertinorum usu consentiunt Pompeiani, quorum scripta ratio hic multo infra veritatem consuetudinis mihi quidem esse videtur. Continetur enim finibus paucarum provinciarum, quae sunt corporis partium, vestimentorum, instrumentorum domesticorum, ciborum, nominum denique animalium aut proprie aut ludibrii causa in hominibus dictorum.

Proxime ad similitudinem illorum deminutivorum familiaritatis et studii rerum plenorum accedit ea consuetudo narrandi, quam *homo meus, miles meus, (baro noster?)* demonstrant. Talia autem non tam ad orationem, quam ad mores pertinent, qui qua arte sint descripti demonstrare non est nostri propositi. Eodem modo nominasse sat habemus proverbia, quae nil valent nisi ex loquentium moribus aestimata. Haec qui sola ex cena excerpterunt, ingenti sua stupiditate docent, quantam iniquitatem quantamque invidiam fortunae memoria Petronii et alibi passa esse putanda sit. Nomino denique comparandi libidinem plebeiam (*phantasia, discordia, piper, non homo* et quae sunt eiusdem generis), asyndeta illa (*quem amat, amat, quem non amat, non amat; egi aginavi; plus minus; velit nolit; hac illac*), alliterationis studium ex antiquissima stirpis Romanae memoria traditum (*ab acia et acu; sicca sobria; fortis fidelis; factum, non fabula*; alia), compendia sententiae absolvendae (*adhibete, habet unde = il a de quoi, dedit suas, ego et tu sponsiunculam*). Cf. Kraffert, Programm Verden 1888, 14.

VII.

Quantas delicias habeat synonymorum usus vulgaris cum elegantia classicorum scriptorum comparatus nemo nescit, qui in his studiis vel mediocriter versatus est. Hac ex provincia commodius quam aliunde perspicere licet, quibus legibus vulgus in oratione conformanda temperetur et teneatur. Videmus opponi ruditatem elegantiae, verba solida, densa, vehementia synonymis et forma et sententia moderatis, cautis, modestis, natura ac necessitate multa novari, cum nimio usu mirum in modum vis dictorum minuatur. Nescio an sit operae pretium, singula elementa lexicum libertinorum cum Encolpii urbanitate conferre. Si recte videmus, Petronius minime sibi constat in copia verborum accurate distinguenda, sed rei ipsius minime est negligens. Initium capimus in hoc capitulo, in quo sat habemus gravissima quaedam attulisse, quae in promptu erant, a discriminibus quibusdam nemini roma-

nicarum linguarum studioso non notis: *Portare*, non *ferre* (*collo suo ligna portare* 38, 7, sed 46, 8 apud centonarium falsae urbanitatis plenum modo, modo *collo suo circumferebat onera venalia*, quo ad usum Petronii ipsius accedit), *plorare*, non *flere*³⁹); *plangere mortuum* bis apud libertinos, *plangere pectus* apud Petronium 111, 2, *rogare*, non *orare* (Löfstedt, peregr. 42), *bellus*, non *pulcher*⁴⁰); abhorrere videntur libertini, ut Pompeiani, ab usu copulae *-que* (Löfstedt, per. 87). In partibus corporis significandis dolemus Petronium nullo modo illa abundantia vocum usum esse, quae quin in usu plebis viguerit, non dubitamus. Unicum fere exemplum, quod quodammodo cum *testa* et *spathulis* merito comparari possit, affert Trimalchio, cum *rostri* sui mentionem facit (75, 10), quae vox pro ore vel nunc in Hispania exstat. Sed et *os* ipsum in usu et vigore esse videtur, si quidem bis proverbii fere ratione dicitur *aquam vel panem in os surum conicere*, ubi verbo *coniciendi* nescio quid agreste ac rude praeter sententiae necessitatem inesse recte Löfstedt sensisse videtur (peregr. 265). *Bucca* quattuor locis commemoratur, quorum primo intellegenda est *la bouche* (*durae buccae fuit* 43, 3), secundo *la bouchée* (*non mehercules hodie buccam panis invenire potui* 44, 2), duobus ultimis *la joue* (*ad buccam probaremus*, quod est narrantis ipsius, 70, 3 et *bucca, bucca, quot sunt hic* 64, 12). In urbanitate Petronii *sumuntur* apophoreta, cibus, diaria, mattea, mulsum, *tollitur*, ut in romanicis linguis, apud libertinos (*holera spectant, lardum tollunt* 39, 11; *duo mala sustuli* 66, 4). His similibus commendatur permutatio 66, 7 *unde quidam etiam improbe ternos pugnos sustulerunt*, sed nescio an verba tradita sint vera, quae Ernout solus retinet *u. q. e. improbiter nos pugno sustulerunt*, i. e. quae tantum cupidinis et studii convivis iniecere, ut vel essent „des gens assez mal élevés pour nous en écarter à coups de poing“. Nam et hoc optime cum moribus Habinnae et cum vi tollendi (*sustuli me de negotiatione* 76, 9) convenit. Verbum *faciendi* per mille figuras significandi detorquetur ita, ut dicatur in coci ministeriis atque in pecunia comparanda non magis quam in Venere exercenda atque in ventre exonerando (Heraeus Gl. 35, Löfstedt peregr. 162). *Debattuere*, quod 69, 3 (*solebam ipsumam meam debattuere*) obscene dicitur,

39) Digni sub textu certe qui afferantur numeri libertinorum (l) et narratae cenae (n): *flere* 0 l, 5 n, *plorare* 5 l, 2 n.

40) *Bellus* 7 l, 0 n, *pulcher* 1 l, 0 n.

ut *batuere* Cic. ad fam. IX, 22, 4, et *muttire* (61, 2) (cf. *motto*, *mot*) formata sunt ex stirpibus in romanico usu feracissimis, praeter alia autem animum tenet *manducare*, quod ad libertinos tantum reiectum est (46, 2 *inveniemus*, *quod manducemus*, 56, 4 *panem manducamus*). Qua voce Hieronymus in novo testamento recensendo non potuit supersedere, cum nimio iam plebis usu vel in sacris atque sollemnibus verbis esset probata atque accepta, etsi in vetere testamento eam repudiavit, ubi expeditior erat facilioremque copiam habebat vocum et reiciendarum et mutandarum. Sed quantum offensionis primum quidem apud omnes certe homines humane eruditos et eleganter doctos passa sint verba sanctissima: *accipite et manducate, hoc est corpus meum*, animo facile finges.

Copiosius videtur tractandus esse ille usus, quo *ipse* ad dominum significandum spectat (*cepi ipsimi cerebellum* 76, 1; *ad delicias ipsimi annos XIV fui* 75, 11; *ego tamen et ipsumae satis faciebam* 75, 11; *solebam ipsumam meam debattuere* 69, 3; *ipsimi nostri delicatus decessit* 63, 3). Praeter *ipse*, *ipsus*, *ipsa*, *issa*, *issula* enim superlativus formabatur, a quo pendet *medesimo*, *même* (*memet ipsimum* > *me metipsimum*).

Facile intellegitur, quomodo hae voces potuerint cum honoris causa tum in amoribus (cf. *maîtresse*) de pueris, puellis, immo de canibus catellis dici (Buecheller, ed. maioris p. 74). *Isse* pro *ipse* adeo in consuetudine erat, ut scriba ille parum doctus (Suet. Aug. 88), cum familiare *issi* urbane vertere vellet, ad *ixi* falso deferretur, cum tacito quodam sensu sciret *x* non minus quam *ps* apud plebem *ss* pronuntiarum⁴¹). Huius vocis apud Pompeianos usus satis frequens animos legentium tenet convictos. Testimonia haec: 148 *Paris isse*, *isse Paris Augustiane vale*, 1589 *Aphrodite issa*, 1294 *calos* (καλῶς) *Paris isse*, 1085 *Paris isse vale*, 2133 *Paris isse*, 2239 *vale issa Fabia*, 1590 et 1591 *Euge* (= Εὐχή) *issa*, 1457 *issae sal.* (bis, forma dativi eodem modo ficta, ut *illae*). Cum *ipse*

Ex bibl. univ. Berol.

41) In quibusdam imperii regionibus vim suam prior consonans *p* retinuit (e. gr. in provincia, ad Genuam, Pisam), ubi nunc illius partes tuetur sonus *i*. Capsa > cassa it., châsse fr., caisa prov., caisse fr. Meyer-Lübke Einführung³ 168. Cf. *esso*, *essa* (it) = *ipse*. Formam in provincia usitatam nunc video esse qui malint ad **capseam* revocare (cf. commentarios criticos nomine *Litteris* editos II, 22), sed singulari iniquitate nostrae bibliothecae hac ex parte non integrae mihi non licet disputationem hac de re institutam (Romania XLVI, 115; XLVII, 579; XLVIII, 273) persequi.

vix minus quam *ille* per diutinum tempus articuli fere vices teneat (in graecis sacris verbis vertendis saepissime, ut *ἐκ τοῦ πεδίου* = de ipso campo Roensch² 422, 480; Wölfflin, Archiv für lat. Lex. XII 475, in peregrinatione Aetheriae e. gr. 19, 61 *cum ergo venissemus ad portam ipsam, . . . episcopus legit nobis ibi ipsas epistolas* Löfstedt 64) et in Sardinia etiam nunc hanc orationis provinciam tueatur, Karl von Ettmayer⁴²⁾ (Zeitschrift für franz. Philologie XXXIV 332) sibi videtur articulos in illis *éxemplis Pompeianis* intellegere. Attamen etsi ex frequentia usus satis apparet, quantopere recedant hi loci ex vi pronominis, tamen, ut est ratio et ordo horum nominum priorum, vix scio, quid articuli vis hic sibi velit. Equidem nullus dubito, quin sit interpretatio haurienda ex eo, quod *dominus* vel *domina* eadem ratione nominibus adiungitur 4950 *Βάχχης* (= Bacchis) *δοῦνα*, 6865 *rogo, domina* eqs., 1991 *Aelius Magnus Plotillae suae salutem. rogo domina*, 1736 *Liberalis dominae salutem*. 4890 in rationibus in pariete inscriptis distinguitur inter *dominam* et *dominum*, 4356 *Cresce(n)s puparum domnus*, 3007 *Amphioni domino sal.*, 1665 *Restituta cum Secundo domno suo*, 4944 *Communis Clodia sua dom*. Nil legitur praeter aut *domina* 2634 aut *domna* 4187. Negleximus locos, quorum lectio parum expedita idem fere continere videtur. Apparet apud Pompeianos *isse* cum domino artissimo et rei significatae et usus loquendi vinculo coniungi. Nam ultra ipsum usum amatorium (*issae sal.*, *puparum domnus*, alia) procedunt exempla talia qualia *Βάχχης δοῦνα*, *vale issa Fabia*, *Paris isse*, quae licet originem ducant ex appellatione amoris, tamen in debilem vim tituli fere deminuta esse videntur, ut *Don Giovanni*, *Donna Anna*. In *Aphrodite issa* si recte deam intellegit index corporis (p. 768), id quod non habeo quomodo aliter intellegam atque ex translationis usu (*mea Venus*, vides certe in tabula phototypica XXXI, 14 A. et Eugen 1589. 1590 eisdem characteribus exhiberi eodemque loco haberi), habes antiquum exemplum usus cuiusdam posteriorum, qui Deum vel Christum saepius sub hoc pronomine solo intellegunt (Wölfflin Archiv f. l. L. XI 390, Svennung, Orosiana Upsala 1922, 67)⁴³⁾.

42) Eodem modo idem, Gesch. der indog. Sprachwissenschaft, herausgegeben von Streitberg, II 278.

43) Alia, quae ad domini vocem pertinent, invenies apud Friedländerum, Sittengeschichte IV⁹, 82 sqq. Löfstedt, peregr. 115. Ex Petronio afferimus 66, 5 *bene me admonet domina mea* et 67, 9 *domini mei beneficio*, 41, 3 *servus tuus*.

Sermonem plebeium mirum in modum quae a nobis intelleguntur abstracta esse, in singulis aut hominibus aut rebus adhibere testis est inprimis sermo castrensis, multis locis plebeiae rationis gravissimus auctor. Nam *exercitus* nomine primum quidem comprehendebantur ea, quae ad exercendos homines pertinebant, der. Drill, der Kommiss, *optio* dicitur, quicumque per optionem arrogatur, *legio* dicuntur qui leguntur. Biblia sacra et in vulgata editione habet ingentem multitudinem exemplorum⁴⁴), quae si singula intueberis, facile cognosces adeo non posse ad unam et eandem rationem revocari, ut inter rem significatam et nomen adhibitum satis multiplex et varia ratio intercedat. Qua ratione quaque via vis harum vocum esset mutata, equidem nullo loco diligentius illustratum esse vidi⁴⁵), sed hoc apparere videtur plebem ab initio abstracta illa alia cogitatione esse amplexam ac viros doctos.

Apud Petronium sermonis plebei imitatore inuenio haec 77,4 *Habet quattuor cenationes, cubicula viginti, . . . susum cenationem, cubiculum, in quo ipse dormio* (*cellationem* traditam vix recte, ut est ordo verborum et mutandarum litterarum facilitas, retinet Ernout). Sed vim huius exempli minuit Plinius, qui in notissima illa de villa sua epistola (II, 17, 10) eodem modo *cubicula* cum *cenatione* coniungit. Multo gravius est testimonium centonarii 45, 12 *adeo de magna turba „adhibete“ acceperant, plane fugae merae*, i. e. die reinsten Ausreisser, Kneifer, Drückeberger, quo fere ad initia vulgaria nominum masculinorum in *-a* formandorum revocamur, si quidem *scribae* et *agricolae* humanis personis induti illi orti sunt ex vocibus ad rem universe pertinentibus (Schreiberei, Ackerbau). Simili ratione germanico usu das Frauenzimmer ex loco ad universum genus hominum illo loco constitutorum, tandem ad singulas feminas translatum est.

Sed miramur, quam nil fere ex hac ingenti copia rerum delibaverit scriptor calamo imitandum. Aguntur enim non tam sin-

44) Veluti Jo 14, 2 *in domo patris mei mansiones multae sunt*. Genes 27, 7 *affer mihi cibos de venatione tua*. 1 Cor. 5, 7 *Expurgate vetus fermentum, ut silis nova conspersio*. Matth. 9, 16 *Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus . . . peior scissura fit*.

45) Exempla ex titulis affert copiosissime Olcott, Studies in the word formation of the Latin inscriptions, Rome 1898, 1 sqq., ex scriptoribus Cooper, Word formation in the Roman sermo plebeius, New York 1895, 1 sqq., sed uterque coniungit diversissima nullo rationis intercedentis interposito discrimine.

gulae voces tales, qualium postea emergunt uberrima exempla, ut *virtutes* = Grosstaten, Wunder, *pietas* = Almosen, *memoria* = monumentum, quam nervi ipsi orationis, quibus ordo et verborum et sententiarum continetur. Nam quae nos omnes invitis fere animis accepimus quondam praecepta recte scribendi, ut cogitationem ad naturam latinae linguae accomodaremus diversissimae illius ab omnibus huius aetatis linguis in vicibus substantivorum et verborum temperandis et exaequandis, eorum plurimam partem apparet nunquam in sermone plebeio viguisse. Quibus legibus hic teneatur non tam in usu singularum vocum quam in ratione inter substantiva et verba interposita qui quaeret, habebit apud Cooperum et Olcottium, quae reiciat exempla, habebit, quae accipiat ita, ut ex singulorum locorum natura diligenter perspecta verborum ordinem restituat. Vereor, ne ille, cuius doctrinam et iudicium desideramus, a Petronio sermonis plebei interprete illustrissimo atque gravissimo illo omnibus numeris ac partibus destituatur.

Sed satis lepido exemplo docet scriptor praenominibus quibusdam cum aliis tum eis, quae obsoleta ab ipso usu quodammodo remota sunt, saepius subesse nescio quam morum significationem 45,7 *iam Manios aliquot habet*. Res ex Germanorum usu notissima, quibus *Johann* est pro servo, *Stoffel* pro stupido, *Louis* pro agaga, *Metze* pro meretrice, *Rüpel* pro impudenti. In appellativorum fere provinciam abierunt *die Heulliese*, *der Zigarrenfritze*, *der sanfte Heinrich*, *der dumme August*. Sed quid Romani in Maniis subintellexerint, mihi quidem neque ex proverbii usu (*multi Manii Ariciae*) neque ex Varronis satura Menippea (247 sqq.) hoc nomine significata satis patet. Ad fortuitum ludum verborum revocabis illud, quod *Manius mane* ^{ausruhen} *suscitat* (259). Norden intellegit manum, bonum, simplicem, εὐρήθη (Fleckeisens Jahrb. Suppl. 18, 327). Rationem ipsam usus vel in multis exemplis Germanicis frustra conabimur enucleare, si quidem maior pars Augustorum, Elisabetharum nil habet, quo illa ignominia digna sit.

Multo plus fructuum percipiemus, ubi recensebimus nomina praeter necessitatem suffixis exornata. In hac enim parte illustranda singularem curiositatem ac diligentiam posuit scriptor.

a) *-atus*. Hic multo plus quam aut *expudoratus* (spudorato it) 39, 5 aut denique talia, qualia *rubricatus*, *stolatus* valet *dum bonatus ago* 74, 16. In Ecclesiastico Vulgatae mirus quidam abusus *magnatorum* pro *magnis*. Quae in romanicis linguis offeruntur

diurnata, *annata* seu ad pluralem neutri generis seu ad singularem feminini revocanda satis demonstrant, quantopere hoc suffixo novata sint, quae postremo certe nullo discrimine a simplici distarent. *Malatus* exstat C GL. II, 126; *i bellé bellátula* Plaut. Cas. 854 (hiatus ante *i*).

b) *-monium*: Petronii *gaudimonium* (61, 3) et *tristimonium* (63, 4) proxime accedunt ad Laberii in mimis usum (*miserimonium* 18, *mendicimonium* 150, *moechimonium* 150) et ad Pompeianum illud (918) *Secundus regimonium tenet feliciter*.

c) *-ivus*: *absentivos* = *absens* 33, 1, ut fere *captivus* — *captus*, *festivus* — *festus*. Cooper 106 sqq. habet plurima similia, veluti ex Plauto *abditivus*, *ascriptivus*. In romanicis linguis pro *tardo*: *tardif*, *tardivo*, similia aliis locis.

d) *-icius*. Ingens multitudo exemplorum apud Cooperum 120 sqq., sed et hic videbis, ubi quaeres, quae ratio inter simplex et vocem suffixo auctam intercedat et ubi singularem vim horum exemplorum aestimabis ex locorum ipsorum inspectorum ordine et natura, diversissima esse coniuncta. Quantum, ut haec exempla afferam, discriminis est inter haec Plautina forma suffixi cohaerentia: *puella expositicia* (Cas. 79), *cum oculis emissiciis* (Aul. 41), *ex patribus conventiciis* (Cist. 40)! Quod autem ex Petronio unicum affert *lanisticius* 45, 4, nil habet miri, cum *familia lanistica* illo loco commemoretur, i. e. *familia e lanistis consistens*. Multo dignius erat, quod nominaretur, etsi iam Varronis ex usu allatum erat, *empticius* 47, 12, quod aut nullo aut satis parvo discrimine a simplici distat (inter emptos referendus, numerandus). Olcott habet (216) exempla titulorum.

e) Adiectiva in *-osus* fines regni praeter necessitatem late promovisse in sermone cotidiano testis appendix Probi, qui 211 docet *ravidus non rabiosus* (Baehrens 119). Iure igitur ac merito non tam singulae voces reprehendi possunt, quae quot locis scriptorum aut grammaticorum inveniantur saepe ex fortuita temeritate memoriae pendet, quam multitudo exemplorum praeter urbanam consuetudinem exaggerata: *sucossus* 38, 7, quod iam in ipsa sententia loci nescio quem saporem vulgarem habet: *valde sucossi sunt (reliqui colliberti eius)*; *aerumnosus*, *imperiosus*, *calcitrosus* 39, 12 et 9 et 6; *linguosus* 43, 3; 63, 2; *dignitossus*, *lacticulosus*, *laboriosus*; 57, 10 et 8 et 7; *morbosus in aves* 46, 4.

f) Eodem modo *-arius* singularem fertilitatem habet aliorumque suffixorum locum occupat (*primipilaris non primipilarius*

app. Probi 69). Exemplis Petronianis nil docetur nisi facilitas vocum hac ratione formandarum: *oracularius* vel *oricularius*, *pullarius* vel *puellarius* in eodem capite 43, *micarius* 73, 6, *caligarius* 74, 14, *sestertarius* 45, 8 et 11, *dupundiarius* 58, 5; 74, 15. *Corvorum cibaria* 58, 2 quid sit, supra p. 42 illustravimus.

g) *-ianus*: *prasinianus* 70, 10 plane ad consuetudinem dicitur.

h) *-iensis* pro *-ensis* 48, 2 *Tarracinienses*, ut *Athenienses* ad *Hispanienses* Stolz HGr. I, 2, 541, Heraeus Gl. 47.

Alia, quae aut iam copiosius sunt tractata, ut *ridiclei* (p. 28) et *manuciolus* (p. 23), aut nil ad consilia scriptoris illustranda faciunt, praeterimus.

In vocibus componendis vix nimium tribuendum est libertati illi, qua *nesapius* (50, 5) a Trimalchione vetusto negandi more componitur aut *plusscius* fingitur (63, 9); *benemorius* recte restituerunt Örelli et Heraeus in Nicerotis fabella (61, 7). Cetera exempla vix quicquam ponderis habent (*caldicerebrius*, *domusio*, *larifuga*, *fulcipedia*)⁴⁶.

Cum in declinatione et coniugatione scriptor vix curare videatur, quantopere vulgaris sermo analytica ratione studeat formas dissolvere, enixe alio loco operam dat, ne similia neglegantur: dico illas ambages loquendi, quae usu coniunctionum *quod* et *quia* accusativum quem dicimus cum infinitivo commutant. Petronius autem primus videtur hoc in genere dicendi *quia* testari, quod apud posteros est frequentissimum Vulgataeque mirum in modum familiare: *dixi, quia mustella comedit* 46, 4; *subolfacio, quia nobis epulum daturus est Mammea* 45, 10, nisi forte recurre ad Plautinum illud (Pseudol. 107)

*atque id futurum unde unde dicam nescio,
nisi quia futurum est.*

Ad Gallorum *que* seu Itolorum *che* formandum quantum praeter *quem* et *quid* contulerit vox ipsa coniunctionis *quia*, nondum satis apparere videtur (Karl von Ettmayer, *Vulgärlatein*, *Gesch. der idg. Sprachw.*, herausg. von Streitberg, II 280). *Quod* certe nunquam fere non familiaris sermo consueverat hunc in modum verbis sentiendi et dicendi adiungere (Löfstedt, *per.* 116 ff.). Exemplum nemini non in promptu. Ne intra umbracula scholasticae seve-

46) Mirum est Stolzium et his rebus inesse nescio cuius dialecti auctoritatem putare: Allerdings darf nicht verschwiegen werden, dass die südtalische Volkssprache, wie sie in dem... Roman des P. uns entgegentritt, ... manche eigentümliche Zusammensetzung aufweist. *Hist. Gr.* I, 2, 375.

ritatis quidem omnia huius generis exempla notam censoriam habebunt, veluti, quod est apud Martialem XI, 64,

*nescio tam multis quid scribas, Fauste, puellis,
hoc scio, quod scribit nulla puella tibi.*

Gravius certe Trimalchioneum illud (71, 9) *scis, quod epulum dedi*. Sed de huius loci interpretatione dubia supra (15 sq.) copiosius egimus. Dignum, quod attendatur — nam multa in hanc partem sunt disputata post Löffstedtium (cf. Svennung, Orosiana 86 ff.) — Petronianos libertinos semper indicativo uti neque quicumque discriminis perspicere aut inter duas coniunctiones aut inter dicendi et sentiendi verba aut inter verae et falsae rei significationem.

Interrogandi sententias obliquas quas elegantior ratio dicendi intellegit pro rectis conformari vel in exemplis talibus, qualia sunt *nemo curat, quid annona mordet* (44) et *dixerat, quid pridie cenaveram* (76), nemo miratur, qui vetustae consuetudinis hac in parte semper a vulgo conservatae peritus est. Multo levior est quam Petronius sibi ipse indulset parataxis pro hypotaxi apud *mihi crede, credo, puto* similia posita (Segebade 13 sq.). Sed in illa libertate minime sibi constans est Petronius, si quidem idem Trimalchio loquitur (75, 11) *scitis, quid dicam*, vel 56, 2 *medicus, qui scit, quid homunciones . . . habeant*, vel (74, 17) *ut intellegas, quid tibi feceris*, vel 50, 5 *valde bene scio, unde . . . nata sint*, aut, ut ceteros libertinos afferamus, 37, 6 dicitur *nescit, quid habeat*. Ab altera parte habemus (61, 2) *nescio quid nunc taces nec muttis*, quod etsi audacia superat ea, quae solent ex usu verbi nesciendi offerri, tamen in provincia rusticitatis est infra vulgaria illa supra allata. In Hermerotis aenigmate denique invenimus (58, 9) *dicam tibi, qui de nobis currit et de loco non movetur, qui de nobis crescit et minor fit*, apud Trimalchionem (50, 7) *ignoscetis mihi, quid dixerero*.

Caput tertium.

Usque adhuc egimus de sermone vulgari Petronii haud aliter, ac si scriptor omnium libertinorum sermones eisdem fere coloribus depinxisset. Accuratius autem quicumque singula recensere, intelleget aperto discrimine inter se singulos convivas distare. Hoc discrimen, quod est et numeri et generis, cum sit, nisi equidem fallor, nunquam observatum, eo plus nobis proponemus tractandum, quo plus hac ratione intimam fabri-

cam scriptoris deprehendemus. Discrimen autem quod diximus numeri in eo collocamus quod in eadem provincia loquendi ab alio pudenter et rarius, ab alio saepius peccatur. Textum ipsum quaeso in eis quae sequuntur ante oculos habeas. Infimum fere locum urbanitatis et elegantiae tenet Dama (41) *plane matus* ille, ut ipsius verbis utar, cuius oratio in editionibus quattuor fere versuum est. Loquitur brevissimis membris sententiarum, concisis illis articulatim ac sine ullo fere vinculo coniunctis, ut speculo tanquam imago reddatur viri ebrii et somnolento languore impediti. In paucissimis his verbis bis masculino pro neutro genere utitur (*balneus, vinus*), qua audacia inprimis aures tundit. Nam quod intensivum pro simplici verbo adhibet (*versas*), leve est, levius quod syncopam bis admittit (*calda, calfecit*). Una in re nescio quid fastidiosae elegantiae habet, quae mirum in modum a rudi simplicitate ceterorum verborum abhorret. Ubi cumque enim de bibendi usu agitur, in doctam fere obscuritatem incidit. Nos quidem parum scimus, quid sint *staminatae* (potiones?) aut *matus*, sed miramur elegantiam caldae potionis cum *vestiario* comparatae neque errabimus, si ad Damae auctoritatem singulare illud poculorum nomen *pataracinorum* revocabimus (*cum pataracina poposcisset . . . inquit*), in quod formandum graecum *πάταχρον* et latina patera turpi contaminatione coierunt.

Peculiaris Damae ratio ex diverso Trimalchionis sermone antea prolato accuratius apparebit. Trimalchio, qui omnia peccandi semina in se continet „*tanquam favus*“ vulgaritatis, ut ipsius verbis abutar, in eisdem coloribus adhibendis aperte suus est. Nam illius peccata ex recessu tanquam atque umbra artium et litterarum earum, quarum peritum se esse clamat, miserrime eminent, *astrologiae et philologiae*. 39,4 *oportet etiam inter cenandum philologiam nosse . . . nam mihi nihil novi potest afferri, sicut ille fericulus iam semel habuit praxim (fericulusta mel H, feliciter corr. Ernout)*. Illa philologia apparet hoc genere dicendi: *fericulus, caelus* (39 bis), *prae mala sua* (39, 12), *cornum acutum* (39, 5), *uirosque parietes* (39, 7). Hic scriptor consilium suum perspicuis verbis indicavit: *laudamus urbanitatem mathematici* (39, 6). Apparet, qua ex parte velit et ea, quae sequuntur, intellegi. Una re coniungitur cum Dama, nulla praeterea, dico *fastidiosas* quasdam in re potatoria *ambages*. Sed valet iterum, quod alia in re quondam Heraeus proclamavit: „Was wissen wir denn vom Trink-

komment der Römer?“ (Rhein. Mus. LXX, 8). *Tangomenas faciamus* (34,7 et 73,6) enim, qua voce feminina sit explendum nescimus, etsi similiter atque in *pataracinis τέγγειν* et tangere (cf. *de melle me usque tetigi* 66,3) animo loquentis coniuncta esse videntur. Ceterae voces graecae plus minus ad astrologiam spectant, *cataphagae*, qui in leone nascuntur, *ne genesim meam premerem*, *habuit praxim* = eventum habuit, evicit. Hic fericulus signis astrologorum exornatus probat (est enim in meis aedibus comparatus) me in litteris omnium numerum esse. Probant autem signa ipsa rebus et gestis, ut oracula, quanti pretii sint. Non habeo aliter, quomodo verba interpreter mirum in modum intricata. Satis inepte igitur Trimalchio pro *demonstando* ponit verba ex sollemni provincia signorum caelestium petita atque a nuda simplicitate huius loci alienissima. Similia acumina ioci frigidi atque arcessiti postea apud eundem interpretari conabimur.

Usu graecarum vocum deducimur ad *Hermerotem*, quem supra se accumbere aut discumbere Encolpius dicit (36,7; 57,1; 59,1). Illum graecissare recte Immisch vidit, qui (Hermes LXX (1917) 156) in illius oratione (38,10) Gronovianum quoddam oblivionis fere tenebris involutum restituere conatus est <oe> *cum hoc titulo proscripsit*. Sedgwick (The Classical Review XXXIX 117) vidit *topanta* redire CILVI 25 861 Diehl Vgl. I. 265 *cum oenoforu, cum calice et tapantione*. Vox mihi videtur ad vas vel vestimentum spectare et dici, ut „en tout cas“. Fortasse *topanta* nescio qua topi cogitatione depravatam est. Exemplis omnibus apparet, quanto discrimine haec Graeca Hermerotis a Trimalchionis astrologia distent. Sunt enim ex sermonis ipso usu petita 37/38 *Trimalchionis to panta est; saplutus; babae babae; quemvis ex istis babae-calis; phantasia, non homo*. Graeca cum Latinis seminibus dicendi commixta atque conflata vides in *lupatria*. Nam haud sine aliqua ratione in apibus dicere fingitur, quod in vocibus linguae poterat commendare *obiter et vernaculae quae sunt, meliusculae a Graeculis fiunt*. Poterat Petronius hanc supplectilem orationis eo loco, quo iterum Hermeros ad dicendi munus accedit, neglegere. Tunc diceremus forte quadam scriptorem uno loco effundere, quae ex uno eodemque nido grammaticae petiverat. Sed ita ne iudicemus, impedimur eis verbis, quibus idem Hermeros postea utitur (57 sq.), plurimo spatio a prioribus seiunctis. Apparet enim Petronium consulto, haud temere graecissandi studium

Hermeroti attribuere tale, quale praeterea nemini. Habes exempla haec: *haec sunt vera athla, Athana, deuro de, Jovem Olympium, geometrias* („the plur. probably only shows the speaker's ignorance“ Sedgwick in editione 116), *critica* (fortasse eodem modo prolatum aut ut rhetorica, nisi putas tantum elegantiae indignum libertino illo), *alogias, menias* (? ad Iliadis initium revocat Marx, auctor ad Herennium 75). Est enim et ille, quamvis alienus a Trimalchionis astrologia et philologia, nihilominus *artificii* sui hactenus memor, ut *lapidarias* sciat *litteras* et *partes centum* ex scholae trivialis memoria. Sed mirum est, quantopere sint omnia in hoc homine ad certi cuiusdam consilii constantiam a scriptore conformata. *In rutae folium conicere* (37 et 58) cum in duabus orationibus, quarum altera ab altera longissimo spatio distat, inveniatur, iam parvuli huius exempli vinculo eiusdem hominis memoria restituitur. Multo graviora sunt, quae fluunt ex *moribus huius viri caldicerebrii*. Haud temere is primum quidem Ascyli *licentia intemperanti* vehementissime commovetur, tum autem Gitonis risu tantopere laeditur, ut vix iam sui ipsius sit compos. Nam et in oratione illius ut in *moribus omnia excitata atque dissoluta*, sententias solet aut omnino non absolvere aut praeter expectationem nova cogitatione deflexus parum apte finire. Natura generis dicendi continetur brachylogia quadam, cuius ellipseis (a membris concisis Damae plurimo discrimine distant nec habent apud ceteros libertinos quocum coniungantur. 37/38 *nec quid nec quare; sed liberti scelerati, qui; amici de medio; haec lupatria providet omnia, et ubi non putes; familia vero — babae babae!; tantum auri vides* (fortasse conferri potest 58, 14 *quod me sic vides; 38, 14 quod illum sic vides; 38, 12 sestertium suum vidit decies*. Ne *videndi* verbo nimium tribueris. Interpretare: *quantum consiliorum* aut *quantum corporis et ponderis*. In singulari loquendi usu huius hominis nulla certe mutationis copia); *quid ille, qui; crevit . . . modo solebat . . . sed quomodo dicunt — ego nihil scio, sed audivi — quom Incuboni pilleum rapuisset* (scilicet *crevit*) et *thesaurum invenit* (apparet et apud hunc hominem non posse deleri). Augentur ultra modum exempla in altera oratione plena iracundiae (57/58). Hanc totam cum non liceat exscribere, affero pauca: *eques Romanus es? et ego regis filius*. „*quare ergo servivisti*“ *quia* sqq (attendas quaerendi respondendique commercium vix significatum); *tu lacticulosus; tu beatior es: bis prande, bis cena; tam facile est quam „accede istoc“; quid faciat crucis offla, corvorum*

cibaria („Was kann man auch von einem Galgenstrick anders erwarten“ recte Heraeus, nisi quod et ille deesse quaedam ante *quid faciat* suspicatur. Miscet Hermeros secundam et tertiam personam, ut 57, 2); *bene nos habemus, at isti — euge! qui tibi non imperant* (aut isti geuge H, *nugae* Buecheler; cum Hermeros graecisset in flosculis cotidiani sermonis et paulo ante *io Saturnalia* proclamaverit, nolui *euge* mutare); *vix me teneo et sum caldicerebrius cum coepi matrem meam dupundii non facio*. Hunc locum difficillimum, nisi quod *caldicerebrius* elegantissime pro eo, quod est traditum *caldus cicer eius*, a Jahnio restitutum est, in ceteris vix puto recte duobus diversis locis correctum esse ita, ut *sed* insereretur ante *cum coepi*, cum ordo verborum altero loco (*nec pro et*) correcto non iam sibi constare videretur. Hermeros, ut est fere mos iracundorum, antea de suis moribus praedicaverat: *non mehercules soleo cito fervere* 57, 3. Aut igitur Hermeros parum sibi constat aut aliquid discriminis intercedit inter haec duo de moribus *iudicia*. Illo profitetur se aegre ad iram perducī. Quin autem si non illo at certe hoc loco irae flammis flagret, nulla dubitatio. Nescio an sit interpretandum, *vix me teneo, et sum natura caldicerebrius, cum coepi* (sed ut incipiam, aegre perducor). Vae tunc omnibus et adversariis et amicis. *Matrem meam* (subintellege *cum coepi*) *d. n. f.* Ut est exagitatus atque concitatus *cum natura* tum ludibrio Gitonis, se ipse saepius ad propositum revocat: *recte* (schon gut, warte nur), *videbo te in publicum, ... recte, venies sub dentem ... ad summam, si quid vis, ego et tu sponsiunculam; nec sursum nec deorsum non cresco, nisi dominum in rutae folium non conieci* (negandi formulas vides sine ulla spe perspicuitatis confusas); *Athana tibi irata sit curabo et qui te primus deurode fecit (et qui adiungitur ut supra apud eundem et ubi (37, 6), deurode ut accede istoc inseritur); ita lucrum faciam et ita bene moriar aut populus per exitum meum iuret, nisi te toga ubique perversa fuero persecutus* (nimio iurandi et minandi studio ad plenam animi et orationis perturbationem prolatus est, nam apparet quam non apodosis protasi respondeat. Nolui aut mutare in *ut*, quia neque parataxis rerum in honesta morte (*ut mortuus non erubescam* apud eundem 57, 6) exoptandarum et honestae mortis ipsius necessario excludi et illi *aut* iam nescio quod negationis vestigium inesse videtur, qua animus certe confusus loquentis in his verbis pronuntiandis tacito quodam sensu tenetur. Sed qui *ut* scribit, potest suam causam ita agere, ut suspicetur.

verum illud *ut*, quod desideramus ut *ita* voci opponatur, de cogitatione loquentis esse ideo sublatum, quod alterum quoddam *ut* consecutive sententiae esset iniunctum). *Bella res et iste, qui te haec docet, mufrius, non magister. didicimus*: — *dicebat enim magister* — „*sunt vestra salva? recta domum; cave circumspicias, cave maiorem maledicas*“. *At nunc* etc. Interpungendi ratione significavi, quo modo verba intellegam, didicit puer, quae verbis ipsis afferuntur; ei, qui ante *didicimus* inserunt *nos alia* aut *nos aliter* consilia scriptoris corrigunt. Nam tota hac oratione Hermerotis demonstratur, quanti pretii sit discrimen inter singulos sermones libertinorum consilio et ratione scriptoris interpositum ad criticam recte exercendam. Decet enim libertinum ex suo ipsius genere dicendi aestimari, non ex ceterorum aut denique ex Petronii.

Ratio Hermerotis loquendi quam sit peturbata atque dissoluta, perspicitur non minus ex aenigmate. De hoc loco cenae plurima difficultate obscuro mirum est, quantum in diversas partes abierint criticorum iudicia⁴⁷). Nos quidem quam paucissimis verbis quid sentiamus dicemus ita, ut quantum haec res ad nostrum propositum pertineat eluceat. Hermeros iterum constantiae in verbis ordine absolvendis deest. Nam primum quidem oratione recta, deinde obliqua utitur. Ab hac initium faciemus. *Dicam tibi, qui de nobis currit et de loco non movetur, qui de nobis crescit et minor fit*. Apparet rem quaeri masculini generis, quae, ut fere fit in aenigmatis, contraria in se continet, nam currendo de loco non movetur, eadem et crescit et minor fit. Certa autem, si quicquam aliud, verba *qui de nobis*, quibus, cum ter proferantur, omnia continentur. Nam quod primo loco in versibus ipsis traditur *quidem nobis*, nil valet, cum *minor fit* doceat, consilio hic non, ut alibi saepius in aenigmatis, *quid* = *vi* quaeri, sed agi nescio quem homuncionis tanquam forma praeditum. Ambigue, ut fere fit in griphis, *de nobis* bis certe ita dicitur, ut eodem iure et ad verbum revocari possit (*de nobis currere, crescere*) et subiecto ipsi adhaerere possit (*quae pars nostri*). Vix est, quomodo miremur verbis aenigmatis ipsis allatis aliquantum difficultatis inesse, cum iam quae ab Hermerote oblique referuntur minime sint

47) Recentioribus temporibus W. Schultz (Pauly-Wissowa I A, 116 sqq.), Bluemner (Philologi vol. LXXVI, 343 sqq.), Scheidweiler (Philologi vol. LXXX, 204 sq.).

simplicia. Numerus est vetustissimus ille versus quadratus popularibus versibus inde a tenebris vetustatis consuetus⁴⁸).

Qui de nobis longe venio, late venio? solve me.

Nulla modo offendimus in eo, quod res quaerenda de se ipsa verba facit, neque in eo, quod se solvi vult tenebris ignorantiae. Sed permiror genere dicendi — nisi forte dicemus, quod nolo putare in natura eorum quae sequuntur verborum, loquentem, quae fuerunt duorum versiculorum, in unum conflare — quaestio et narratio permiscentur. Quis dubitat, quin et cetera illa eodem genere numerorum origine et initio sint usa et eadem persona sint prolata? Multa videntur esse, quae hariolationem invitare possint, nam vides membra disiecta poetae talis, qualis Pompeis cecinit (1830)

*Futuitur cunnus pilossus multo melius quam glaber:
eadem continet vaporem et eadem vellit mentulam.*

De loco et de nobis videntur consilio quodam alterum alteri opponi, in verbis obliquis accurate persequendis fortasse et *dicam tibi* alicui usui est (cf. *solve me!*). Nolo tacere quae tentavi, non quo putem digna illa esse quadrati exemplo optime Hermerotis versu expresso, sed ut significem, qualia fere versibus invidia aut perturbatione libertini plebei ex memoria posteriorum remotis infuisse putem:

*qui de nobis longe venio, late venio? solve me!
dic mi: qui de nobis curro, moveor qui non de loco?
loquere: qui de nobis cresco, nobis qui fio minor?*

Qui vel quis (cf. 62, 8 *qui mori timore nisi ego*) sum ille ego, qui etc. In aenigmate oratione pedestri referendo solvit Hermeros distortum illud genus dicendi, ambiguum et in eo, quod poterat quicumque leviter verba intuebatur, intellegere primum quidem nescio quem de nobis, nescio quem nostrum. Sed talia in griphorum natura fere posita sunt.

In solvendo hoc aenigmate Sphinge digno miror Gurlittium⁴⁹) demum publici iuris fecisse, quod vereor ne et aliorum iam animis sit obversatum. Nam equidem fateor me illam sententiam iam

48) Immisch cum quadrati originem et usum illustraret (Zur Frage der plautinischen Cantica. Heidelberger Akademie Phil. Hist. Klasse 1923, 7 p. 30), et huius versus mentionem fecit.

49) Petronius Satiren übersetzt von Gurlitt 39 f.

habuisse pro certo initam, cum in Gurlittii interpretationem inciderem Scheidweileri nota (Phil. LXXX 206) doctus. Omnia enim ita dicuntur, ut libero quicumque iudicio verba intuebitur, non possit non penem intellegere. Nil nisi *dominus iste, isse iste* idem et est pars nostri et de nobis venit longe lateque et de nobis currit nec de loco movetur et augetur modo, modo minuitur. Uno loco disto ab interpretatione Gurlittii. Mihi enim aenigma ita comparatum esse videtur, ut, id quod est in facetiis talibus frequentissimum, praeter obscenam vim, quae nemini non in mentem venire debebat, caste et pudice solvi possit. Hic autem nil habeo, quod idem tribus legibus convenire possit. Sed nil obstat, ne dicamus penem imperium totius aenigmatis tenere, singulos autem versiculos a parte honesta varie explicari posse. Non nego autem multo difficilius griphum honestam interpretationem pati quam illam alteram. Pes (Buecheler) venit (?) longe et late, ubicumque (Bluemner) in longitudinem et in latitudinem aream emetitur. Umbra (Bluemner) de nobis crescit et minor fit, sed excluditur impedimento sexus, quo non tenetur crinis (Buecheler), cuius deminutio minus apte, nisi fallor iudicio, in recisis capillis tantum poni potest. In secundo versu honeste explicando haereo, cum oculi interpretatio a Buechelero prolata mihi aegre probetur⁵⁰⁾, linguae autem genus ipsum aditum pracludat. Sed fortasse erit, qui felicius et haec enodet.

Tenet, ut hoc ultimo loco commemoremus, in oratione Hermerotis difficultate quadam animum legentis vinctum hic denique locus: *si quid vis, ego et tu sponsiunculam: exi, defero lamnam*. Hoc *exi* quid sit vix audeo interpretari. Friedländer enim non magis voci satisfacit quam Sedgwick (komm her, come on). „Huc accede“ facile sane intellegeretur. Ut transeamus illos, qui (Schefferus, Scheidweiler) *ecce* corrigunt, aut (Schultz) volunt in foro locum certaminis constitui, cum praeter veri similitudinem huc iam referant, quae multo post (58, 11) dicuntur, non est, quomodo non *exi* aut interpreteris ex illius triclinii necessitate et illius temporis natura aut revoces ad illum usum loquendi omnibus fere linguis consuetum, quo eundi vel abeundi verba sine ulla fere peculiari vi eundi ad adiuvandam cohortationem adhibentur: Geh fort, gib mir . . . ; ach gehen Sie weg, blei-

50) In thesauro l. l. affertur Potam. tract. 1 p. 1415 A *oculi sui in orbibus currunt*. Sed vix de nobis currere dici possunt oculi.

ben Sie noch etwas; geh, sei so gut⁵¹); allez. Usus loquendi facile intellegitur ex plurimis illis locis, quibus quae iuberis facere non perficies, nisi de loco te moveris. Sed, ut est natura loci, haud sine aliqua dubitatione hanc interpretationem profero.

In Seleuci oratione tenuissima (42) ad peculiarem quandam loquendi supellectilem referendum est *et quid, si non abstinax fuisset*, quod haud temere paulo post reintegrari iam Friedländer vidit *quid si non illam optime accepisset*. Addo, quod praeter ullam necessitatem ad infimum genus dicendi descenditur *frigori laecasin dico* („grobe Einladung, offenbar ähnlich der von Götz an den Trompeter gerichteten“ Heraeus Rhein. Mus. LXX, 38, qui vocis usum ex Mart. XI 58 extr. illustrat). Totam enim hanc plebeculam convivii neque nimiae castitatis neque nimiae obscoenitatis sectatricem iniuria ac nimis acerbo iudicio Gurlitt nominat „eine Gesellschaft von Wüstlingen“ (l. l.).

51) Havers in philologorum conventu Erlangensi 1925 rem tractavit. Quae ex comicis latinis attulit exempla, Plaut. Aul. 95 sq.:

*cultrum, securim, pistillum, mortarium,
quae utenda vasa semper vicini rogant,
fures venisse atque apstulisse dicito*

et Ter. Ad. 917: *tu, illas abi et traduce,*

ea, ut est ordo verborum, demonstrant, quantopere vera vis abundi vel veniendi sit hic minuta. Exemplo Petroniano, quamvis sit ipsum alienum ab his locis, tamen nescio an simile quid insit. Nisi enim mavis interpretari: Komm heraus (aus deinem Schlupfwinkel?), vix est quomodo non dicamus *exi* hoc loco ita fere dici, ut *ad summam, recte*, atque peculiarem exeundi vim amisisse.

Heraeus (suppl. 285) haud sine aliqua dubitationis significatione affert Pompeianam illam in taberna imaginem (IV 3494). Sed et hic parum apparet, quomodo verba ascripta aut ipsa cohaereant aut rebus fictis respondeant. Duorum virorum sedentium genibus tabulam cum talis ferentium alteri ascriptum est *exi*, alteri, qui dextra fritillum tenet, *non tria, duas est*. Videntur igitur de alearum iactu aestimando in discrimen venisse. Cum autem in alia parte eiusdem imaginis duo viri litigantes depingantur, qui a tertio sinistrorsum extruduntur, alearii et illi, nisi me fallunt verba addita (*Noaxi, a me tria, eco fui* ascribitur alteri litigantium, alteri *Orte fellator, eco fui*), extrudentis autem viri imagini hic adhaereant verba *itis, foras rixatis, exi* fortasse dicitur ab eo, qui inter rixam socium abire iubet. Sed quod ex usu triviali eorum, qui chartis ludunt, petemus, *Komm heraus*, nescio an possit defendi, licet legentium risum primum moveat, si quidem in sortiendo sortes vel nomina *exire* dici lexicorum copiis apparet. Nil enim obstare videtur, ne hoc et in hominibus ipsis potuisse dici suspicemur. Confer denique, quod est apud Persium I, 46, *si quid tamen aptius exit*.

In Philerotis genere dicendi (43) perspicua est taediosa quaedam loquacitas confusa perturbatione cogitationis omnia commiscens. Sed vide, quomodo sit a Damae rudi simplicitate et ab Hermerotis concitatione omnibus partibus aliena. Satis lepide rem ita instituit scriptor ut, qui proclamaverat *vivorum meminerimus*, tantum absit, ut in hoc proposito constet sibi, ut pro uno mortuo duos mortuos iudiciis persequatur. Sed fugit puto interpretes omnia illius verba tam misere esse loquacitate dissoluta atque perturbata, ut de utro sit sermo omnino non possit diiudicari. Etiam hic apparet criticam artem non posse prospere procedere nisi ex singulari loquentium genere dicendi quam diligentissime observato. Testis Bluemner, qui (Phil. LXXVI 337) verba *hereditatem accepit, ex qua plus involavit quam illi relictum est* praeter omnem veri similitudinem et praeter Philerotis usum dicendi interpretatus est ita, ut illi referret ad alterum quendam heredem, qui minus ex hereditate ceperat, quem Chrysanthum ipsum esse dicit. Petronius autem usu pronominum plane in oratione huius hominis perturbato consulto legentium et audientium iudicium frustratur. Phileros excipit Seleuci de Chrysantho verba: *ille habet, quod sibi (!) debebatur . . . puto mehercules illum reliquisse . . .* Huic Chrysantho, viro durae buccae, linguoso, discordiae, non homini, opponit fratrem: *Frater eius fortis fuit, amicus amico* etc. Nunc autem, ubicumque plurima necessitas erat duas personas seiungendi, omni pronominum usu, quo ceteris locis abundat, supersedet: *Et inter initia malam ^{aliam} parram ^{quidem} pilavit, sed recorrexit costas illius prima vindemia. Vendidit enim vinum, quantum ipse voluit, et quod illius mentum sustulit, hereditatem accepit, ex qua plus involavit, quam illi relictum est.* Ut est Philerotis usus loquendi, saepius una eademque persona constanti usu pronominis illius significatur. Recte igitur Friedländer vertit, cui obloquitur Bluemner: Und wodurch er recht in die Höhe kam, das war, dass er eine Erbschaft machte, von der er mehr einsteckte, als ihm vermacht war, itemque Ernout: qu'on ne lui avait laissé. Iam eis, quae paulo post sequuntur verbis (*cui datum est, non cui destinatum*) perspicere potuit Bluemner nescio quem dici iusto plus hereditate accepisse. Sed nisi fallor errore hoc ipso testatur idem, quanta perturbatione et confusione tota haec narratio obscuretur. Hoc debebant critici enarrare, hic enim singulares sales huius loci apparent. Nullo modo enim apparet,

uter fratrum dicatur, cum, qui est plurimus in abusu pronominum, pessime haereat in personis recte distinguendis. Iterum in dubitationem incidimus eo loco, qui est post prioris hereditatis mentionem. *Et ille stips, dum fratri suo irascitur, nescio cui terrae filio patrimonium elegavit . . .* Haec neque poterant neque debebant accurate ab audientibus perspicui, cum iterum de illo quodam sermo fiat, qui, utrum sit intellegendus Chrysanthus necne, parum patet. Pergit orator: *habuit . . . servos, qui illum pessum dederunt . . . tamen verum, quod frunitus est, quam diu vixit cui datum est, non cui destinatum.* Fuerunt, qui haec detruncata esse putarent. De sententia vix ulla dubitatio: „Wer hat, der hat.“ Supplendi autem nulla necessitas (*habet enim, cui datum est Buecheler, cui datum est, datum est Muncker*), cum pro suo more orator in ceteris pronominum largissimus profusor, hic nimis parco usu obscurus fiat. Recte autem Buecheler sensisse videtur *frunitus est (fruniscar meos 43, peculium fruniscaris 75) obiectum desiderare (sua, vitam)*. Obversatur autem animo loquentis hereditas aut expilata illa aut illa altera praeter expectationem elegata. Nam et hic non minus quam in pronominum usu omnia obscura: *tamen verum* (cf. *de re tamen ego verum dicam* paulo ante), *quod frunitus est, quamdiu vixit, cui datum est* (ipse, qui crimen expilatae hereditatis commiserat? an cui fortunam datum?), *non cui destinatum* (ille terrae filius? an ille, quem fraude deceperat?). Linguam caninam profecto comedit Phileros nemini non fortunam invidens. In reliquis certe in una eademque persona versatur: *in manu illius plumbum aurum fiebat . . . quot putas illum annos secum tulisse? . . . Non mehercules illum puto in domo canem reliquisse.* Haud temere illud etiam institutum esse videtur, quod idem Phileros eandem abundantiam habet in relativis quibusdam sententiis adiungendis: *crevit, quicquid crevit, tanquam favus; et quod illius mentum sustulit, hereditatem accepit; longe fugit quisquis* (Varro in titulo saturae Menippeae 244 sq. *qui*) *suos fugit.* Hic denique pronominum sectator habet illud *vendidit vinum quantum voluit*, de quo supra (p. 36).

Ganymedis oratio (44) eo plus miramur quam non sit diligentius a ceterorum genere dicendi secreta, quo accuratius mores huius personae depictos esse videmus. Nam ut mittam *aediles male eveniat et iam annum esurio fuit*, de quibus locis supra (p. 12) egimus, nil invenio praeter singulare participiorum studium: *populus minutus, stolatae, pedes lanatos.* Huc

pertinet *urceatim*, quod ut *guttatim*, *gradatim*, *paulatim* fictum est. Sed nolo praeterire, quod in sanando quodam loco plurimae dubitationis pleno sum conatus, satis conveniens, nisi fallor, rei ipsi et moribus huius viri religionibus dediti anno-naeque miserias ad deorum podagram referentis. Hic enim de Safinio: *nec sudavit unquam nec expuit, puto eum nescio quid Asiadis habuisse*. Cum nil placeat, quod interpretationis nomine propositum est (*nescio quid assi a dis* Burmann, „oder vielleicht: ich glaube, er hatte etwas von der asiatischen Manier weg“ Friedländer, „*Asiadis* mag be right, referring to the idea mentioned in the Cyropaedia 1. 2. 16 and 8. 8. 8, that Persians never spat“ Sedgwick p. 132), nescio an magis arrideat: *puto eum (enim trad.) nescio quid As<s>i <l>a<pi>dis habuisse*. Utimur Plinii verbis NH II, 96, 98 *circa Asson Troadis lapis nascitur, quo consumuntur omnia corpora. Sarcophagus vocatur. XXXVI 17, 27 in Asso Troadis sarcophagus fissili vena scinditur. corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra XL. diem exceptis dentibus. Mucianus specula quoque et strigiles et vestes et calciamenta illata mortuis lapidea fieri auctor est. Eius generis et in Lycia saxa sunt et in Oriente, quae viventibus quoque adalligata erodunt corpora.* 17, 28 *Assius gustu salsus podagras lenit pedibus in vase ex eo cavato inditis. Eiusdem lapidis flos appellatur in farinam mollis ad quaedam perinde efficax . . . admixtus aeri Cyprio mammarum vitia emendat, pici autem resinaeve strumas et panos discutit. Prodest et phthisicis linctu. Cum melle vetera ulcera ad cicatricem perducit, excrescentia erodit. Et ad bestiarum morsus utilis. Repugnantia curationi ac suppurata siccat. Fit et cataplasma ex eo podagricis mixto fabae lomento.* Cum igitur variae Assii lapidis formae usui fuerint hominibus, quo omnia in solidum et siccum redigerentur, egregie videtur et loco et moribus personae convenire, quae tentavimus. Romanis certe auribus singularis huius lapidis vis poterat nomine ipso expressa esse facile videre.

Omnium autem horum oratorum collegium Echion superat audacia loquendi. Hic dignissimus fere, qui diligentius recensetur (45 et 46). Hunc enim saepius hyperurbane ita facit loquentem scriptor, ut fastidiosa illius elegantia a ceteris eiusdem erroribus quam miserrime abhorreat. Miror et hanc rem plurimis exemplis consilio et ratione a scriptore patefactam interpretes fugisse.

Echionis oratio pluribus fere quam ceterorum maculis foeda-

tur. Hic solus bis *quia* verbis dicendi et sentiendi adiungit, haeret in genere neutro (*caelus*), in futuri usu (*habituri sumus*, *daturus est*, fortasse *aliqua die te persuadeam* dicitur ita, ut in modum posterorum quorundam (Grandgent 125) coniunctivus partes futuri subeat, debilitati illius inconstantia et perturbatione. Ernout: Je te déciderai bien un jour. Similiter ceteri interpretes), haeret in deponentibus (*loquere* (pro inf. act.), *loquis*, *arguat*), in voce diei femininum amplectitur. Omnium errorum exempla gravissima auctoritate sua tuetur: *pauperorum* solus, *munus eccellente* (*mel eccellente* Habinnas), *prae litteras* (*prae mala sua* Trimalchio). Leviora hic praeterimus. Nihilominus hic vir infimi ordinis humanitatis singulari quodam amore litterarum inflammatur, quarum satellites, alter tanquam Maecenas de plebe, haud sine ridiculo quodam fastidio tuetur. Scit enim, quid in primis miselli illi grammatici et rhetores praeter alia sectentur: *inveniemus*, *quod manducemus* (in invitando Agamemnone), *quicquid dederis*, *contentus est* (de altero pueri magistro).

Satis ridicule sermonem illius hominis scriptor ita instituit, ut *litterarum* vocem pleno tanquam ore identidem edat centonarius idemque rem parum aptis verbis saepe significet. Veluti de filio: *litteris iam satis inquinatus est*, *ceterum iam Graeculis calcem impingit*, quorum illud similitudine accedit ad illud in Germanorum consuetudine vulgare „mit Ruhm bekleckert“, hoc, cum possit accipi „gibt einen Fusstritt“, dicit „has made a good start in Gk.“ (Sedgwick). Cum loquitur *Latinas coepit non male appetere*, litteras subintellegit, Graeculos autem ipsos dicere videtur. Est locus difficillimus de priore magistro pueri: *etiamsi magister eius sibi placens sit. nec uno loco consistit, sed venit, dem litteras, sed non vult laborare*. Interpretationi Buecheleri: ut tradam, quod litteris consignet, grammatista simul et librarius ad manum (carmine epigraphico 91 commemoratur magister ludi, qui idem testamenta scribit), recte obloquitur Heraeus: Auffallend bleibt freilich, dass in diesem Kapitel litterae sonst im Sinne von Bildung steht. Praeterea vix est, quomodo *litteras dare* hunc in modum interpretemur. Elegantissime Bluemner post alios, qui similia tentaverant, *scit quidem litteras, sed non vult laborare*; poterat v. d. coniecturam confirmare eo, quod alter magister nescit litteras et vult laborare (*non quidem doctus, sed curiosus, qui plus docet quam scit*) et quod apud Petronium ipsum exstat 10, 5 *et tu litteras scis et ego*. Nihi-

lominus ne ita scripsisse Petronium putem, impedior eo, quod et alibi Echion, ut est fastidiosae stultitiae plenus, aliquid huic salutationi doctorum clientium tribuere videtur: de Agamemnone: *aliqua die te persuadeam, ut ad villam venias . . .*, de altero magistro: *itaque feriatis diebus solet domum venire, et quicquid dederis, contentus est.* Cum igitur confirmatae sint omnes tres voces (*venit dem litteras*) gravissimis testimoniis, centonarius autem singulari animi studio nescio quam Musarum tutelam affectet, necesse est tradita verba ex moribus personae interpretemur ita, ut Echion, patronus ille artium et litterarum, narret vel fingat magistellum illum haud ita indoctum, sed parum curiosum atque constantem (nam et hoc risum movet, quod de grammaticorum pretio et aestimatione iudicia proferre minime dubitat) se adire atque velle sibi *litteras dari* i. e. *libros, copiam legendi*, tum autem minus operam dare litteris ab ipso mutuis acceptis. Res ipsa nil habet, quo a veri similitudine abhorreat, cum et Echion gloriatur se in usum pueri libros emisse et Trimalchio ad Agamemnona versus paulo post similiter loquatur (48, 4 *in domusionem litteras didici. et ne me putes studia fastiditum, tres bybliotheas habeo, unam Graecam, alteram Latinam*). Sed ex toto dicendi genere huius Echionis nil est famosius, quam quod in litteris praedicandis duobus locis falso neutro genere utitur, a cuius usu ipse saepe praeter leges grammaticae artis alienus est. Sed ne putemus eum studia fastidiri, vocem tollit et omnibus elegantibus huius generis, quod ad provinciam virorum doctorum pertinere sentit, abutitur: *Litterae thesaurum est*, atque, ne quid relinquatur dubitationis de consilio scriptoris, altero loco: *Emi ergo nunc puero aliquot libra rubricata.* Haec qui reputaverit, facile sibi persuadebit minime temere ficta esse eiusdem verba „*cum dominam suam delectaretur*“. Exemplum est gravissimum omnium passivorum a scholae norma abhorrentium neque ulla analogia excusatur. Est eiusdem, qui in ceteris parum constantem rationem huius generis erroribus suis profitetur. Haec elegantia a Trimalchione iteratur (64, 2).

His exemplis nimiae centonarii urbanitatis fortasse adiungendum est 46, 7 *quod si resilierit, destinavi illum artificii docere, aut tonstreinum aut praeconem aut certe causidicum*, si quidem recte Löffstedt (per. 109) confert Plauti Stich. 400

ibo intro ad libros et discam de dictis melioribus.

Dici videntur einige bessere Witze, ut Capt. 482

dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus.

Sed ex vetusta ratione dicendi equidem vix puto hauriri potuisse hunc usum genetivi, cum in exemplis Plautinis (Poen. 641, Most. 1016), ut Löffstedtii verba afferam, das nahestehende neutrale Pronomen zu beachten ist, wodurch die Konstruktionen wesentlich erleichtert werden. Facilius concedo centonarium genetivo uti, cum nolit dicere in modum Plauti *de artificio docere*. Sed habet et sic res, quam vir ille doctissimus opinionis potius quam sententiae nomine protulit, multum dubitationis. In ceteris enim Petronius vix curavit, quae ratio apud plebem inter *de* et genetivum intercederet. *Aliquid de iure gustare* est centonarii ipsius (46, 7), *de quo cum gustasset* est Habinnæ (66), qui, eodem loco cum dicit *de melle me usque tetigi*, non ablativum instrumentalem more posteriorum scriptorum adumbrat, sed subintellegit *de melle capiens*, eodem fere modo, quo Trimalchio loquitur (75) *labra de lucerna*, id est oleo de lucerna sumpto, *ungebam*. Sed haec omnia, etsi habent aliquid audaciae, ad illam falsam urbanitatem illustrandam parum faciunt. Veram igitur genetivi causam in medio relinquimus. Sed ne quid hic aut supplendo aut mutando corrigam, plurima religione, ut est oratio huius viri affectationis non minus quam erroris plena, impedor. Si recte video, tria felici consilio coniunguntur, plebeius usus loquendi (*praeconem aut certe causidicum docere*, similiter germanice vulgo Bäcker lernen), consuetudo ipsa dicendi nescio qua ridicula diphthongi affectatione fucata (*tonstreinum*, cf. p. 28), genetivus falsa urbanitate interpositus. Quae Buecheler ut analoga attulit: *doctus, docilis alicuius rei*, ea quoque poterant fastidiosam elegantiam centonarii movere.

Fortasse confidentius de altero loco centonarii iudicabimus: 45, 10 *scias oportet plenis velis hunc vinciturum*. Inter omnes errores libertinorum vix ullum invenias, qui plus habeat audaciae. Nihilominus et hoc non sine altero exemplo est, si quidem Julius Valerius habet p. 23, 16 *perfacile multos eum populos vinciturum*, ut praetereamus exempla glossarum hac in re parum certa. Sed aegre persuadeor, ut Heraeo accedam, qui (Gl. 40) haec proponit: Möglicherweise vom Volk gebildet zum Unterschiede von *victurum* von *vivo*. Nam fac in provincia dissimulationis talia consilia et tales rationes aperiri posse, quem vincendi participium futurum optime illud confirmatum⁵²⁾ affinitate victoris victoriaeque putas

52) Huic sententiae non puto illud obstare, quod Nonius p. 188 M usum ipsum participii futuri huius verbi ut rarum videtur exemplo confirmare velle:

sibi proposuisse defendendum ab erroribus falsae confusionis? Apud Neuium inuenio pauca (III³ 587 sq.), quae possint comparari: L. Calpurnius Piso in annalibus sane exiliter scriptis, ut Ciceronis iudicio (Brut. 27. 106) utar, ausus erat *ignosciturum*; habet formas similes *construiturus* et *consultiturus* Venantius Fortunatus, *iaciturus* Statius in Thebaide VII 777. In his formis creandis praesentis temporis tertia persona (amat — amaturus, audit — auditorus) aliquantum valuisse videtur. Nolim haec ad vulgi consuetudinem ita reuocare, ut putem plurimam partem plebis hac vel simili ratione unquam participia futuri conformasse, sed potius ad singularia illa, quae abundantia in oratione centonarii peculiarem quandam saporem habent, cuius vim nunc quidem vix iam est quomodo recte diiudicemus.

Mirum denique est in oratione eiusdem libertini 46, 5 *etiamsi magister eius sibi placens sit*, cum huius coniunctivi nulla ratio possit aperiri. In ea, quam apud centonarium deprehendimus, *urbanitatis vana affectatione* facile putamus coniunctivum pro indicativo electum esse, quia plus elegantiae habere videretur. Tunc autem vix est, quomodo non eodem modo iudicemus de altero quodam loco, qui est Trimalchionis ipsius (71, 1): *etiamsi illos malus fatus oppresserit*, ubi subiunctivum traditum Buecheler correxit in *oppressit*, retinet Heraeus. Satis multis autem locis libertinorum *etiamsi* adhaeret indicativo, veluti apud centonarium ipsum 46, 3 *etiamsi morbosus est*. Multitudo horum locorum (vide indicem) obstat, ne dicamus vulgarem rationem loquendi Petronii stilo depictam malle in concessivis sententiis coniunctivo uti, quod ipsum alibi nil dubitationis habet. Nam scimus et coniunctivum ipsum per parataxin additum (*des quantumvis; sint sane superbi*) esse vulgari ratione concedentium et Romanicum genus dicendi missis omnibus elegantiae scholasticae formulis protulisse, quae coniunctivum flagitarent, veluti *bene quod, si bene*. Sed haec sunt posterioris aetatis, apud Petronium indicativum videmus in ore Hermerotis libertini vel *quamvis sequi*, quod alibi apud Petronium coniunctivum requirit. Atque hic quidem dolemus locum hunc ex urbana dicendi consuetudine consulto exceptum parum certam esse memoria: 58, 8 *iam scies patrem tuum mercedes perdidisse, quamvis et rhetoricam scis* (scio H,

„victurus“ victoriam potiturus auctoritas prudentium putavit esse: „Pyrrhusne rex an Manius Curius proelio victurus esset.“

scis Reiske, Buecheler³, Heraeus, Friedländer). Equidem mihi persuasi coniunctivos illos in usu Echionis et Trimalchionis apud *quamvis* demonstratos deberi nimiae loquentium urbanitati, cum saepius in usu plebis indicativus locum coniunctivi grammatici tenuerit. Sed nolo in re non satis perspicua nimis confidenter loqui.

Nicerotis vel Niceronis illius, qui de versipelle fabulam narrat, oratio (61 sq.) labitur in casuum usu praeter omnem ceterorum consuetudinem (*Capuae exierat, persuadeo hospitem nostrum, venimus inter monimenta, nobis adiutasses*). His exemplis apparet a vero aberrasse illos, qui noluerunt anacoluthon accipere in his verbis: *lupus enim villam intravit et omnia pecora tanquam lanius sanguinem illis misit*. Facile suspicio movetur, ne Petronius hic et alibi non tam singularem cuiusdam libertini orationem sibi proponat ad unam eandemque normam revocandam, sed potius in quod genus exemplorum forte incidit, illo profusissime abutatur⁵³). Hic Niceros unus habet illud ex narrandi consuetudine petitum *miles meus, homo meus*.

Memoria huius orationis non omnibus locis certa est. *Satius est rideri quam derideri* habet aliquid certe acuminis. De interpretatione supra (44) egimus. Simile quid alteri loco inesse videtur: *mihi inanimo in naso esse*. Quid si legendum est: *mihi inanimo anima in naso esse?* Nam solet corrigi *m. anima i. n. e.* Perridicule enim hic *vir*, ut est religionibus deditus et nunquam non umbrarum aut larvarum simulacris perterritus, *figitur* sescenta discrimina vitae et capitis inire: *stabam tanquam mortuus . . . qui mori timore nisi ego . . . in larvam intravi, paene animam ebullivi* etc. Apuleius in simili fabella Met. I, 14 *ego . . . inanimis . . . semimortuus, verum etiam ipse mihi supervivens et postumus vel certe destinatae iam cruci candidatus*. Vides in talibus fabellis ita ludi, ut mors modo imminere, modo adesse, modo vitari dicatur. Hoc ultimum fortasse inest tertio cuidam loco: *qui mori timore nisi ego? Gladium tamen strinxi et matavitatau umbras cecidi, donec ad villam . . . pervenirem*. Mirae illae litterae facillime morte vitata leguntur (*in tota via* Schefferus, alii aliter, cf. Heraeus suppl. 285, Gurlitt Übersetzung

53) Quod Trimalchio in eo quod sequitur capite (63) suum *tristimonium* Nicerotis *gaudimonio* (61, 3) opponit, eodem modo ad commodam memoriam scriptoris revoco.

268). Nam fortitudinem in discrimine non minus praestat quam veritatem in narrando. Loquitur ex usu arenae atque virtutis vel in levissimis rebus: *per scutum per ocream egi aginavi, quomodo ad illam pervenirem.* Uno loco praeter necessitatem verba addi solent: *siquid ab illa petivi, nunquam mihi negatum, fecit assem, semissem habui. in illius sinum demandavi, nec unquam fefellitus sum.* Nicerotem semisses fidei copae mandasse ex eis quae antecedunt facile intellegitur (*quicquid habui* addidit Buecheler). Sic et Ernout videtur rem intellexisse.

Habinnas sevir idemque lapidarius perridicule delicatam quandam profert elegantiam. Veluti 66, 5 *bene me admonet domina mea*, quae non minus delicate quam coniunx 67, 9 loquitur *domini mei beneficio*. Eodem modo queritur de aliorum in priore convivio parum honestis moribus 66, 7, si quidem verba tradita recte se habent (supra p. 50); *oculi mei hic erant* 65, 9; vide, quomodo desiderium Fortunatae rudi quadam humanitate demonstrare conetur 67, 3; Scintilla, cum iactat *delicias viri* 67, 11, has elegantias spectare videtur, alii intellegunt amores vel puerum delicatum. Sed primo obtutu vides his facetiis eum non aliter uti atque unguento illo, quo per frontem in oculos fluente perfusus triclinium ingreditur. Miramur, quanta fide Petronius hoc genus hominum cum aliis rebus tum eo depinxerit, quod sevir laudatus ab uxore propter dona liberalitatis plena, sordidissimis verbis de luxuria mulierum queritur. Turpissimae enim koprolaliae praeter ceteros studiosus est, cacciandi vix minus quam manducandi memor (*cum mea re causa facio, non ploro; catillus concacatus; excatarissasti me; caldum meiere et frigidum potare; uxorem, cum de ursina gustasset, paene intestina sua vomuisse exponit; ego me apoculo; inhonesta ratione iocandi Fortunatam denudat; pro luto*).

Ex genere dicendi Trimalchionis unam figuram loquendi nondum satis video esse observatam, quae, licet ad artem grammaticam plebeiorum minus pertineat illustrandam, tamen artisime cum hominis moribus ceteris e rebus perspicuis cohaeret. Quid dicam, ita explanabo, ut varios locos nescio quomodo, si recte iudico, in nostris editionibus obscuros interpreter.

Nusquam video explicari facetias 41, 6—8. Trimalchio ad puerum conversus, qui varias figuras Bacchi imitando expresse rat, *Dionyse, inquit, liber esto.* Apparet ludi in eo, quod liber est manumissione inter amicos instituta, qui modo Liber fuerat. Sed multo magis ea quae sequuntur interpretationem desiderant:

Tum Trimalchio rursus adiecit: „Non negabitis me, inquit, habere Liberum patrem.“ „Er, der gewesene Sklave, der als solcher ἀπάτωρ war, besitzt nun einen freien Vater, hat einen Freien zum Vater“ Buecheler apud Friedlaenderum. Talia fere hic spectari apparet, sed quomodo Trimalchio „nun“, i. e. post manumissionem Dionysi seu Liberi ipse patronus liberum patrem habere dici possit, nullo modo video explicari. Ernout, cum vertit: *Vous ne pourrez pas nier que j'ai libéré le dieu Liber*, quatenus aut Trimalchionis verba exsequi sibi videatur aut sua supponat facetiis a religiosa translatione abhorrentibus non habeo, quomodo diiudicem. Sed aliqua certe ratio vel Trimalchionis facetiis inesse debet. Gurlitt solus, quid difficultatis loco inesset, sensisse videtur, etsi, quae ipse verbis mutatis (*non negabitis mihi, inquit, habere*) profert, ab omni veri similitudine sunt alienissima: „Der Witz ist wohl so zu verstehen: Trimalchio hat seinen Sklaven zu einem Freien (liberum) gemacht, ist also gleichsam Vater des liberi (= Bacchus) (Übersetzung 258, 267).“ Patrem enim qui intellegit Trimalchionem, liberum autem servum manumissum, et tollit facetias quamvis insulas huius loci, quae ingenuitate Trimalchionis libertini illius continentur, et negligit sollemnem iuncturam verborum, quae *Libero patri* inest. Wissowa, *Religion und Kultus der Römer*², 26 sq., Lucilius 20, Marx, *Lucil.* II, 12. Trimalchio igitur in illis verbis, quae *rursus adiecit*, manumissionis prioribus verbis facete promulgatae, quam solent interpretes haud sine aliqua rei perturbatione hic afferre, plane immemor est. Immo novos sales ducit ex Dionyso illo. „Nonne conceditis me habere (in aedibus meis loco servi) Liberum patrem, nonne igitur sum ingenuus?“ *Laudavimus dictum Trimalchionis*, est autem ineptissimo et loco et tempore insertum, cum nescio quomodo a manumissione abhorreat.

Consilio et ratione usum esse Petronium in eo, quod in sermone Trimalchionis commiscuit, quae singula apta, coniuncta absona ac stupida essent, aliis locis apparet, quorum naturam ab interpretibus nondum penitus perspectam esse puto. In cap. 71 ineunte haec de servis officiose et humane edit: *Et servi homines sunt et aequae unum lactem biberunt* (cf. supra p. 31 de verborum structura), *etiamsi illos malus fatus oppresserit. Tamen me salvo cito aquam liberam gustabunt.* Nil est, quod obstat, ne quid promittam me esse facturum *me salvo*. Pendebit igitur res e vita et salute mea. Hic autem ineptissime illis verbis sollem-

nibus utitur Trimalchio. Testamento enim recitatione exemplaris ipsius probat se manumissurum esse illos servos. Libera igitur aqua gustanda minime pendeat e salute, sed potius e morte Trimalchionis. Horum morum, qui nescio quomodo ad Theophrasti *ἀνασθησιάν* (char. 14) similitudine accedunt, affero testimonium tertium 52, 1: *quemadmodum Cassandra occidit filios suos, et pueri mortui iacent sic, ut vivere putes* (sicuti vere putes H). Naturae facies ab artifice plena et vera imitatione simulata, *ut vivere credas*, in pictura aestimanda haud sine aliqua ratione laudari potest. Sed in mortuorum imaginibus qui illa consuetudine loquendi utitur, iusto ineptius rem instituit. Haec ratio absona inepte confundendi atque conflandi parum intellecta est quarto loco, in capite 63 ineunte. Excipit enim Trimalchio Nicerotis de versipelle narrationem verbis perturbationis plenis: *Salvo . . . tuo sermone . . .* („which sounds as if he were about to cast doubt on it“ Sedgwick; nimis contortam interpretationem habet Friedländer, quasi T. illa cautione id agat, ut illam narratiunculam quamvis plenam horroris tamen cena et convivio haud indignam esse dicat), *si qua fides est, ut mihi pili inhorruerunt, quia scio Niceronem nihil nugarum narrare. immo certus est et minime linguosus.* Hoc salvo tuo sermone, quod suo loco erat dictum, ubi quis alterius sermonem aliqua ex parte supplebat vel corripbat, hic ineptissime ex consuetudine sermonandi petitur. Ordinem verborum vel praeter cogitationis ineptias perturbatum in ceteris recte interpretantur Heraeus (apud Fr.) et Sedgwick. Misera haec perturbatio cogitandi eadem inest verbis (53, 13) *choraulem meum iussi Latine cantare*, consulto ita comparatis illis, ut neque aperte verti possit *des mélodies latines* (Ernout) neque diserte tibiae ipsae latine canere dicantur.

Quid est, quod non habeat Trimalchio? *Habet Liberum patrem, habet tres bibliothecas, unam Graecam, alteram Latinam* (48, 4; „an absurd reading, and so probably right“ S.; equidem frustra sudavi, ut enuclearem, quid animo confuso loquentis hic obversatum esset, fortasse verba sunt accipienda ita, ut Trimalchio ternionis numero primum quidem pro sollemni utatur, in singulis autem tum haereat neque habeat, quomodo vanae iactationi respondeat), habet denique Corinthum: In inepto illo ludo verborum ex ambiguitate aequivoca urbis et homonymi argentarii petito loquitur Trimalchio (50, 4) *quid est autem Corinthum, nisi quis Corinthum habeat.* Interpretes solent vertere, quasi recte Hirschfeld restituerit *nisi quod Corinthus habet*, quem in ceteris,

triplicis illum audaciae suasorem, non sequuntur. Sed perturbatur sermo libertini, cum ad se revocet, quae universe erant dicta. *Quid est Corinthum nisi apud eum qui Corinthum habet.* Ratio loquendi Trimalchionis singulariter digna moribus. Legentium animos revoco denique ad ea, quae supra (p. 59) de fericulo, qui *habuit praxim*, disputavimus. Et haec quidem de Trimalchione.

Demonstrasse nobis videmur plurimis et luculentissimis exemplis, quanto discrimine non solum morum, sed et verborum inter se differant singuli libertini. Invenimus depictam simplicitatem brevissimarum sententiarum angustiis circumscriptam, verbosam obscuritatem moleste sine ullo ordine verborum et rerum fluentem, exagitata et concitata perturbationem moribus caldicerebriis in verbis recte absolvendis impeditam, falsam urbanitatem semper in elegantibus artis grammaticae attingendis labentem, falsas delicias ex affectatione civilium morum ad sordes consuetas semper redeuntes. Apparet scriptorem corruptum genus orationis apte ad singulorum convivarum mores descripsisse. Valet et in singulis, quod sibi proposuit totius cenae imagine demonstrandum Petronius: *Qualis vita, talis hominum oratio.* Hoc quam sit vere dictum, in Maecenatis exemplo demonstrat copiosissime Seneca⁵⁴) (ep. ad Lucilium 114), probat eadem fere aetate usu

54) Haud sine aliqua elegantia coniectandi prolata est opinio eorum, qui uno certe loco tangi volunt Senecae verba in cena, dummodo ultra singula verba utroque loco constituta totum ordinem verborum et sententiarum recenseas. Apud Senecam de tranq. an. Serenus haec animo volvit (I, 16) *puto multos potuisse ad sapientiam pervenire, nisi putassent se pervenisse, nisi quaedam in se dissimulassent, quaedam opertis oculis transiluissent. non est enim, quod magis aliena iudices adulatione <nos (? , sed cf. parodiam Petronii)> perire quam nostra. quis sibi verum dicere ausus est? . . . rogo itaque, si quod habes remedium, quo hanc fluctuationem meam sistas . . . non tempestate vexor, sed nausea.* Cui tunc *euthymian* offert Seneca II, 3. Trimalchio docet 47, 6 *credite mihi, anathymiasis si in cerebrum it et in toto corpore fluctum facit — multo scio sic perisse, dum nolunt sibi verum dicere.* Quae antecedunt: *nec tamen in triclinio ullum vetuo facere, quod se iuvet, et medici vetant continere,* ea ad memoriam Claudii imperatoris spectare videntur, quem Suetonius 32 commemorat edictum meditatum esse, *quo veniam daret flatum crepitemque ventris in convivio emittendi, cum periclitatum venendam prae pudore ex continentia repperisset.* Nemo iam his diebus quaeret, quae ratio intercedat inter Petronii Satiricon et Taciteum illud de flagitiis principis conscriptum opus, nisi forte ea ratione, qua Ernout X not. 2: „Je serais tenté de croire que Tacite a fait une énorme confusion, et je crains que, par amour du pittoresque dramatique, il n'ait attribué à la dernière nuit de Pétrone un roman depuis longtemps composé, en

ipso scribendi Petronius, ille Stoicae severitatis satelles morumque dissolutorum castigator, hic ab omnibus aut irae aut studii iudiciis remotus. Petronius, qui a Tacito, ut Nordenii verba afferam (Die römische Literatur, Einleitung in die Altertumswissenschaft I, 4, 76³), deutlich als Folie zu Seneca gezeichnet wird (ann. XVI 18), quid senserit de Maecenate, ab ipsius natura et moribus multis locis haud ita alieno viro, nescimus. Sed orationis tanquam speculo mores hominum patefieri multo melius quam qui apocolocyntosin scripsit perspexit. In plebecula demonstravit illud, quod in Maecenate vidit Seneca (ll. 7): *haec verba tam improbe structa, tam negligenter abiecta, tam contra consuetudinem omnium posita ostendunt mores quoque non minus novos et praeavos et singulares fuisse*, aut (ll. 11) *ubicumque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque a recto descivisse non erit dubium. quomodo conviviorum luxuria, quomodo vestium aegrae civitatis indicia sunt, sic orationis licentia, si modo frequens est, ostendit animos quoque, a quibus verba exeunt, procidisse. mirari quidem non debes corrupta excipi non tantum a corona sordidiora, sed*

lui prêtant des intentions satiriques à l'égard de Néron qui n'étaient point dans la pensée de l'auteur, mais qu'on pouvait à la rigueur y trouver avec de la bonne volonté". Sed plurima suspicio est, ne non modo res, sed et verba singula cenae — de ceteris partibus hic non habeo cur iudicem — plena sint colorum et splendorum, quorum naturam et rationem ne recte omnibus a partibus interpretemur, impedimur parum copiosa memoria hominum, rerum, litterarum illius aetatis. In litterarum usu et mentione quanta difficultate consilia modo seria modo iocosa expediuntur, exemplo Lucani scimus. Privatas res ab huius temporis notitia plane alienas saepissime tangi vix negabit, qui mirabitur, quam multa ex eis rebus, quae curiosa diligentia Suetonii de principibus collectae sunt, nescio quomodo cenae sint iniecta ita, ut non iam diudices, utrum scriptor spectet imperatorem ipsum an risum petat ex principis imitatione ridicula a Trimalchione instituta. Veluti fuerunt, qui mirarentur, quod Trimalchio ipse haberet *armillam ex millesimis Mercurii factam* (67, 7). Quare igitur, nam sic debebat quaeri, quod deo erat votum, illi redditum non est? Mihi quidem videtur Trimalchio illius dei, cuius singulari tutela utitur, personam agere. Audimus etiam (in capite XXIX) in pariete quodam simile quid pictum fuisse: *e: ipse Trimalchio capillatus caduceum tenebat*, qui non minus est illius dei. Alia imagine eiusdem parietis depingebatur Mercurius, qui Trimalchionem *levatum mento in tribunal excelsum rapiebat*. Mercurium ut patronum affert Trimalchio 77, 4. Nam ne illud quidem a Trimalchionis moribus alienum esse puto, quod Horatius notissimis verbis reddit:

sive mutata iuvenem figura
ales in terris imitaris, almae
filius Maiae patiens vocari . . .

ab hac quoque turba cultiore, togis enim inter se isti, non iudiciis distant. Petronius in cena non curat licentiam eorum, qui ex tenebris remotorum temporum obsoleta verba in lucem proferunt aut ingenii fastidia exercent in verbis novandis, obscurandis, praeter expectationem collocandis, sed id agit, ut sordida ingenia necessitate ac natura sordidis verbis demonstrari usu atque imitatione probet. Quam sit aliena haec imitatio sordium quarundam loquendi ab honesta familiaritate narrandi, iusto saepius, nisi equidem fallor, significat Ascyli, Gitonis, Agamemnonis, Encolpi risu atque nausea. Peccatur in re et verbis non solum rudi imperitia elegantiae, sed et parum expedito et apto usu nescio cuius litterarum et artificiorum memoriae. Et hic quidem merito quaerendum erat, quomodo ea, quorum pars magna ex ipsa consuetudine petita erat, tantum aut risus aut nauseae apud Romanos ipsos potuissent habere. Quia, quicumque Petronii temporibus hoc sibi proposuit imitatione ex-

Mirum est, quam multa, quae Augusti fuisse traduntur, in ridiculam personam Trimalchionis detorta esse videantur. Exempla ex Suetonii vita affero haec, quae singula si intueberis, ad fortunae lusum revocabis, coniuncta non nihil valere videntur: Suet. Aug. 66 *amicorum suprema iudicia morosissime pensavit* etc. Petr. 53 *testamenta, quibus Trimalchio cum elogio exheredabatur.* Suet. 70 *deorum dearumque habitu discubuisse convivas et ipsum pro Apolline ornatum exprobrant, ibidem: notatus est et ut pretiosae suppellectilis Corinthiorumque praecipidus; . . . ad statuam ascriptum:*

pater argentarius, ego Corintharius.

cf. Petr. 50. Suet. 74 *Neminem unquam libertinorum adhibitum ab eo coenae . . . non nunquam et serius inibat et maturius relinquebat. . . ad communionem sermonis tacentis vel summissim fabulantis provocabat* (cf. Petr. 61 et 64) *et aut acromata* (Petr. 53, 12 et 78, 5) *et histriones* (Trimalchio ipse 52, 9 *Syrum histrionem exhibet*) *aut etiam triviales ex circo ludios interponebat ac frequentius arctalogos.* Suet. 75 *munera dividebat . . . titulis obscuris et ambiguis* (Petr. 56). Suet. 43 *Troiae lusum edidit frequentissime maiorum minorumque puerorum* (cf. Petr. 59 de Homeristis). Suet. 83 *pila* (cf. Petr. 27). Suet. 83 *ludebat cum pueris minutis, quos facie et garrulitate amabilis undique conquirebat* (Petr. 64. 74. alibi). Suet. 85 *epigrammatum quae fere tempore balinei meditabatur, 98 versus compositum ex tempore* (Petr. 55). Suet. 101 *mandata de funere* (Petr. 71). Ex ceteris rebus, quae Caesarum cultum redolent, commemoro illud *Gaio feliciter, ave Gai, Gai nostri genio male dixerat, per genium eius Gaium appellando rogare coepit.* Ad Neronem quaedam spectare Kraffert (Programm Verden 1888, 17) opinatur, e quibus haec digna esse videntur, quae perpendantur: Suet. Nero 27 *epulas a medio die ad mediam noctem protraherat refotus saepius calidis piscinis* — Petr. 72. Suet. ib. 12 *gymnico, quod in Saeptis edebat, . . . barbam primam posuit conditamque in auream pyxidem et pretiosissimis margaritis adornatam Capitolio consecravit* — Petr. 29.

proprietate sibi invidiam.

sequendum, toto caelo et omnibus numeris distabat ab eis, qui similia his temporibus tentant. Rem a Petronio institutam non recte diiudicabit, nisi qui animo tenebit, quam ingenti discrimine distent in veterum et cogitatione et usu scripta verba ab ipsa consuetudine loquendi. Hanc ipsam exaequare fide scribendi ne cogitatione quidem quisquam inter Romanos poterat studere. Ad hanc litterarum Romanarum naturam legentium animis penitus insitam, non ad vitae ipsius fidem ac veritatem sunt revocanda omnia, quae Petronius in orationibus libertinorum expressit. Multo enim plus et momenti et ponderis, ut erat iudicium legentium et norma scribendi, omnia vel leviter a consuetudine scriptorum abhorrentia naturam ac necessitate habebant quam similia apud nos, multo minore et leviori lapsu orationis interposito plus animos legentium commovit scriptor, quam quicumque hac aetate ex infima sentina atque cloaca societatis humanae suas copias dicendi petit. Ab ipsa fide veritatis imitatio scriptoris toto caelo distat, si quidem non peregrinos in incerto usu externae linguae saepius labentes et balbutientes depinxit, sed vere Romanos, tanta veri suci et sanguinis orationis latinae plenitudine perfusos, quanta ne omnes quidem grammaticorum aut rhetorum scholae ullum ex Attica aut Asiatica prosapia productum advenam studiorum in urbe Latia imbuere poterant. Nil est, quo appareat Petronium in copiis dicendi comparandis ullos recessus provinciae aut terrarum remotarum adisse, ut, si non peregrinos, at certe rusticos quosdam propria asperitate dicendi ab urbis consuetudine distantes depingeret. Sed proponitur ab eo *κοινή* quaedam usus latini, quae dignitate et genere multo est superior fide et veritate illius plebeculae. Omnia fere elementa imitationis Petronianae tam facile ex historia linguae latinae expediri qui fit ut possint? Illa vix esset quomodo intellegeremus, si ex abditarum tabernarum vulgo potius, quam ex usu omnium essent petita. Vidimus Petronium et hac in parte multa et gravia intacta reliquisse, sed multo magis legentium animi admiratione tenentur omnium earum rerum, quas et recte et apte imitatione executus est. Nil apud illum videtur ludibrio cogitationis aut temeritate consilii fictum esse. Hoc debebat multo pluris aestimari, quam illa nescio quae sectatio orationis vulgaris, quae in eo nulla fere est, nisi forte vulgarem dicis ipsum usum loquendi rarius et parcius, quam apud honestos et humanos consuetudine fieri solet, legibus scholae et memoriae temperatum, communem illum fontem

linguarum romanicarum. In moribus depingendis palmam fidei et veritatis multo facilius tenet, quam in oratione libertinorum imitanda, in quam vel intulit, quae Augustus imperator non modo in loquendo, sed ne in epistolis quidem repudiabat. Sed et hic nomine difficultatis laude est dignissimus scriptor. Nam saepe miratus sum criticos ita loqui, quasi Petronius facile artibus illis uti potuisset, quas in huius temporis usum ediderunt Lindsay, Meyer-Lübke, Grandgent aut si quis alius. Nos potius non possumus satis mirari, quanto acumine ingenii perspexerit, quibus legibus teneretur cotidianus sermo, qua ratione natura et necessitate esset progressura, qua via processura oratio latina. Quo in discrimine genus neutrum versaretur, quo loco esset usus generum verbi, non modo in universum vidit, sed et singulorum exemplorum vicibus et variatione illustravit. Quantopere omnia loquendi elementa lege analogiae tenerentur, nescio quomodo perspexit. In variandis sermonibus libertinorum multo plus artificii et consilii habet, quam poterat apud veteres exspectari. Multo facilius quam haec, quae non poterant delineari nisi ab eo, qui aliquam certe peritiam artis et rationis ipsius habebat, poterant singulae voces a scribendi usu alienae comparari.

Triplex igitur huius libelli dos est. Tria certe nobis proposuimus illo exsequenda, primum quidem, ut post alios denuo vulgaria illa quae dicuntur cenae inesse semina orationis recenseamus, interpretaremur, in ordinem quendam artis redigeremus, deinde, ut illarum rerum naturam et pretium ex recessu tanquam atque umbra orationis latinae et litterarum Romanarum illustraremus atque aestimaremus, postremo, ut, quam singularem artem collocasset Petronius in copiis suis dicendi ad mores singulorum libertinorum variandis et temperandis, demonstraremus.

Atque cum in litteris Romanis diiudicandis atque intellegendis soleat hac aetate multo plus tribui auctoritati exemplorum et memoriae artis rationisque, quam naturae ingenii, vereor ne dicat, quicumque recte haec a nobis esse disputata concedet, nescio quam artem grammaticam stilo Petronii adfuisse adiutricem in scribendo. Equidem fateor mihi non posse persuaderi Petronium temere tacito quodam sensu sine ullo ordine rationis et consilii potuisse illam imaginem orationis parum urbanae perficere. Sed idem, ut est ratio artis grammaticae apud scriptores latinos, non habeo, quomodo animi cogitatione fingam nescio quem Consentium, nescio quam appendicem Probi scribentis usui

iam tum accomodare potuisse totam illam supellectilem errorum dicendi. Has artes enim quicumque noverit facile concedet natura et ordine plane a ratione Petronii distare. Plurimam operam collocant in ea parte grammaticae, quae est de sonis vel, ut ex ipsorum sententia loquar, de litteris, quam satis leviter tangit Petronius. Sed et in eis rebus, quae utroque loco inveniuntur, nullo modo ea ratio intercedere potest, ut Petronius ex scholastico illo fumo (*per adiectionem litterae sic fit (barbarismus), ut siquis dicat coperit pro operit et similia apud Consentium*) lucidam suam imaginem protraxerit. Sed haec diligentius hoc loco persequi longum est. Si recte hominis mores novi, miscuit ille et hic non minus quam in hominum et rerum natura aestimanda innata acumina ingenii cum usu eruditionis et consiliis artis ita, ut omnia nescio quam simulationem temeritatis haberent. Facete enim, ut solet, Tacitus (ann. XVI, 18) „*Ac dicta factaque eius quanto solutiora et quandam sui neglegentiam praeferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur.*“

Index vocum ex sermonibus libertinorum petitarum

Absentivos	54	caldus	27
accede istoc	60	calfecit	27
ad cognosco	31	caligarius	56
ad delicias fui	36	candelabrus	40
adiutare	31 sq.	canturire	31
adiutare (cum dat.)	18, 73	Capuae exire	34 ³² , 73
aediles — male eveniat	12	cardelis	29
aerumnosus	55	casula	48
alogiae	60	cataphagae	59
amasiunculus, -a	48	catillum	40
amphitheater	40	catillum concacatus	74
amplexare (act.)	43	cenatio	53
anathymiasis	77	cerebellum	48
apocularare (se)	10, 74	cibaria	41, 56
argutare (act.)	43	clusus	18
arietillus	48	coda	21
artificii docere	70	coepti	37
Assius lapis	68	comula	48
Athana	60	concacatus catillum	74
athla	60	conicere	50
<u>audaculus</u>	48	convivare (act.)	43
Babae babae	12 ¹³ , 59 sq.	copo	21
babaecali	59	corcillum	48
balneus	40	Corintheus	22, 76
bellus	50	cornum	26, 36 ³⁴
benemorius	56	credra	23
bonatus	54	critica (plur.)	60
bovis (nom.)	45	culcitra	23
bublus	16, 27	currere (dictum in oculis ?)	64 ⁵⁰
bubulus	16	De	70 sq.
bucca	50	Debattuere	50
Caelus	40, 58	defraudit	47
calcem impingere	69	delectari (vi act. d.)	44, 70
calcitrosus	55	derideri	44, 73
caldicerebrus	27, 56	desperatum valde	32
		deurode	60

dies (fem.)	46	exinterare	9
dignitossus	28, 55	exire Capuae	34 ⁸² , 73
diibus	46	exire foras	31
docere artificii	70	exopinissare	10, 31
docere praeconem, causidi- cum	71	expudoratus	54
domatus	19	Facere	50
dominus et domina	52 ⁴³ , 74	faciatur	46
domusio	56	faciatur triclinia	14, 41
dupundiarius	56	facio mea re causa	74
Elegare	31	fastiditum	43
empticius ⁵⁵)	55	fatus	40
erudibam	47	fefellit	12
ervilia (fem.)	41	Felicio	11
esurio	12 ¹³ , 67	fericulus	40, 58
etiamsi (cum coni.)	72	foras (pro foris)	24
euge ⁵⁶)	12 ¹³ , 61	frunisci (cum acc.)	17
excatarissare	10, 74	frustrum?	23
excellente Hispanum	45	fugae merae	53
excellente munus	45	fulclopedia	56
exhortare (act.)	43	Gaudimonium	54, 73 ⁵³
exi ⁵⁷)	64 sqq.	genesis	59
		geometriae	60

55) Vide ea, quae Leumann (Glottae vol. IX, 129 sqq.) disputavit. Hic copiosa multitudine exemplorum proposita accuratius demonstrat, quo discrimine originis et significationis adiectiva in *icius* desinentia (*patricius*, apud Petronium *lanisticius*) distent ab eis, quae in *icius* formantur. Illa abeunt apud Italos in *-ecio*, haec in *-iccio*. Ratio inter formam simplicem et dilatatam, diversissima illa in utroque genere, ea est, ut *icia* sint, quaecunque propria sunt nescio cuius ordinis hominum, quaecunque pertinent ad res ipsas simplicibus vocibus expressas, *icia* autem, quorum maior pars a participiis deducta est, vix differant a simplicibus nisi ita, ut perpetuam quandam iuris conditionem spectent. Significatur, ut germanice loquar, plurimis locis illic die Zugehörigkeit, hic die dauernde rechtliche Stellung. Cf. *dediticius*, *adoptatocius*, *empticius*, *servus recepticius*, *domus conducticia*, *edicta translaticia*. Mihi quidem illud dignissimum esse videtur, quod attendatur, in his, ut saepissime alibi, apparere iuris Romani usum cum vulgari ratione dicendi, quae in his potissimum ab omnibus iure collocari solet, plurimis vinculis cohaerere.

56) Cf. apud Persium I, 48:

*sed recti fine¹¹que extremumque esse recuso
euge tuum et belle.*

57) Cum difficultas huius loci praecipue ex obscuro praepositionis *ex* usu fluat, addo, quod percommode docet Loeffstedt (Berliner phil. Woch. XXXI (1911) 1433) in simili verbo *evocandi* saepissime vim esse ita dilatatam atque debilitatam, ut nulla ullius loci, e quo quis vocaretur, cogitatio relinqueretur. Huius rei affert cum alia testimonia, tum haec Petroniana: 108, 14 *evocat*, 110, 5 *evocatumque me*.

glebula	48	manducare	51
Graeculio	11	Manius	54
gustum	36 ³⁴	manuciolus	23
Hilaria	41	margaritum	41
homuncio	48	martiolus	23
hostiarius?	24	matus	29, 58
Iam imponit (pro fut.)	38	mavoluit	18
ille	33, 66 sq.	melum	14
imperiosus	55	meniae?	60
in	35	meus	49, 73
in argento studiosus . .	35	micarius	56
in funus fui	24	milva	42
in ingenuum nasci . . .	35	modo modo	32
in larvam intravi	35	morbosus	55
in medio (voca)	24	muttire	51
in publicum (videbo) . .	24	Naufragare	43
inquinatus	69	nec non	32, 61
intelligere meum	13	neminem nihil	32
intestinae	14	nemini nihil	32
Iovis (nom.)	45	nervia (plur.)	40
ipsimus et ipsima	51	nesapius	56
Laboriosus	28, 55	nisi non	32, 61
lacte	45	nummorum nummi	8
lactem	45	Oblivisci (cum acc.) . .	18
lacticulosus	28, 55	Occupo	11
laecasin dieo	65	oclopeta	27
laeticulosus	28, 55	offla	27
lamellula	48	olim oliorum	8
lamna	27	olunt	47
lanisticus (cf. not. 55) .	55	oracularius vel oricularius	21 ²¹ , 56
larifuga	56	ossucula	28, 48
lasanus	40	Parsero	47
librum	40, 70	pataracina	58
linguosus	55	pauperorum	44
litterae	69	peduclus	28
loquere (act.)	43	percolopare	9
lorus	40	permittitis (pro imperat.	
lotus	21	vel fut.)	38
Lucrio	11	persuadeo (cum acc.) . .	17, 73
lupatria	11, 59	Petraites	16
Maiestus	28	phantasia	59
maledicere (cum acc.) . .	18	philologia	58
male eveniat	12	piangere	50
maleicorium	28	plodo	21
		plorare	50

plovere	18	Sanguunculus	48
plusscius	56	sanguen	45
portare	50	saplutus	59
porticus (masc.)	39	schema	9
prae litteras	25	servus tuus	52 ⁴³
prae mala sua	25	sestertarius	56
prasinianus	56	severa	41
praxis	58	sibi (pro ei)	33, 66
propin	13	soleum	22
ptisicus	30 ²⁸	somniari (dep.)	44
pudeatur	43	sponsiuncula	48
pullarius vel puellarius	56	staminatae	58
Quamvis (cum indic.)	72	statunculum	29
quantum (pro quanti)	36	sterteia	28
quia (pro a. c. i.)	56, 69	stigma	9
qui = quis	63	stips	46
qui de nobis	62 sqq.	strabonus	45
quid si	65	striga	45
quisquilia	40	sucossus	55
quisquis	67	susum	22
quod (pro a. c. i.)	62, 56sq., 69	suus	33
Recorrigere	31	Tangomenas facia-	
recte	61	mus ⁵⁸)	59
redire iterum	31	Tarraciniensis	56
rideri (act.)	44	taurululus ⁵⁹)	48
ridiclei	28	thesaurum	40, 70
rogare	50	tisicus	30 ²⁸
rostrum	50	tollere	50
		tonstreinum	28, 71

58) Nuperrime video Birtium interpretatum esse (Rhein. Mus. LXXV (1926) 118): Lasst uns machen: ich greif in die Sardellen. „Rin in die Kartoffeln!“ Equidem non video, quare necessario intellegamus altero loco convivas illa formula manducare, non potare iuberi: 73,6 *Itaque t. f. et usque in lucem cenemus*. Structuram verborum similiter iam intellexerat Ohlert, qui (Phil. LVII (1898) 653) cottabi consuetudinem affert ita, ut vertat: Wir wollen spielen: ich treffe dich, Manes. Mihi certe neque hic neque ille persuasit. Sed poterat Birt multo commodioribus exemplis Petronianis defendere eam formam sententiae, quam putat apud Catullum 17,6

in quo vel „sali subsili!“ sacra suscipiantur intellegendam esse: 57,11 *tam facile est quam „accede istoc“, 44, 2 iam annum „esurio“ fuit... colludunt „serva me, servabo te“.*

59) Inter deminutiva ad stellas pertinentia poterant insuper nominari *aselli* (in signo cancri Plin. XVIII, 35, 80, *Graeci θβοϋς vocant* Lact. inst. I. 21, 28) et *capella* = αἴξ.

topanta	59	versare	31
triclinia faciatur	14, 41	verum sibi dicere	77 ⁵⁴
tristimonium	54, 73 ⁵³	vetuo	19
Urceatim	68	videre	60
utrosque parietes	44	vinciturum	47, 71
Vasum	45	vinus	40
vasus	45	volpis	45

Index locorum

Petr. 26, 10 . . . 26 " 27, 4 . . . 38 " 33, 1 . . . 38 " 37, 7 . . . 11, 60 " 37, 9 . . . 12 ¹³ " 38, 8 . . . 60 " 39, 4 . . . 59 " 41, 6—8 . . . 74 sq. " 42, 7 . . . 32 ³⁰ " 43, 4 . . . 66 " 43, 6 . . . 67 " 43, 7 . . . 66 " 43, 10 . . . 36 " 44, 2 . . . 12 ¹³ " 44, 3 . . . 12 " 44, 9 . . . 68 " 45, 4 et 6 et 10. 37 " 45, 11 . . . 71 " 46, 2 . . . 69	Petr. 46, 5 . . . 69, 72 " 46, 7 . . . 70 sq. " 47, 3 . . . 38 " 47, 6 . . . 77 ⁵⁴ " 47, 10 . . . 35 " 48, 4 . . . 76 " 48, 8 . . . 17 ¹⁷ " 50, 4 . . . 76 " 52, 1 . . . 35, 76 " 53, 13 . . . 76 " 56, 8 . . . 14 " 57, 3 . . . 44 " 57, 4 . . . 60 " 57, 11 . . . 35 " 58, 2 sqq. . . 60sqq. " 58, 3 . . . 12 ^{13, 61} " 58, 4 . . . 38, 61 " 58, 8 . . . 62sqq. " 58, 12 sq. . . 61 sq.	Petr. 61, 8 . . . 74 " 62, 1 . . . 34 ⁸² " 62, 3 . . . 10 " 62, 5 . . . 73 " 62, 6 . . . 73 " 63, 1 . . . 26 " 65, 10 . . . 21 " 66, 7 . . . 50 " 67, 3 . . . 10 " 67, 7 . . . 78 ⁵⁴ " 67, 10 . . . 10 " 71, 1 . . . 31, 75 " 71, 5 . . . 38 " 71, 10 . . . 14 " 75, 11 . . . 36 " 97, 6 . . . 33 ⁵¹ " 131, 7 . . . 6 ²
---	---	---

Tituli Pompeiani enarrantur

IV 1852 29 ²⁷ 3494 65 ⁵¹	5244 15 ¹⁴ 5279 et 5282 . . . 29 ²⁷
---	--

Voces Pompeianae explanantur

cun 20 ¹⁹ cunnuliggeter ⁶⁰ . . . 11 domi (quo?) 34 ³ dominus, domina . . . 52 exsi 65 ⁵¹ isse, issa 51	mortus 29 Ptronius 30 ²⁸ quen 20 ¹⁹ tan 20 ¹⁹ Tetrates 16 virei bonei 28
---	--

60) Sic enim scriptum est in memoria parietaria, quam in textu ipso cum redderemus *cunnilingeter* parum religiose exsecuti sumus.